VIE

DE CHILON.

Chilon naquit à Lacédémone, d'un pére nommé Damagete. Son frére lui ayant témoigné quelque mécontentement de ce qu'il souffrait de n'être point fait Ephore (1) comme lui qui

(1) Ephore est un terme grec qui signifie un *surveillant*, un inspecteur : aussi les Ephores étaient les inspecteurs de toute la république ; ils parvenaient à cette dignité par la nomination du peuple, mais leur charge ne durait qu'un an.

NOVA
MEDICINÆ ELEMENTA.

NOVA
MEDICINÆ ELEMENTA,

AD

NOSOGRAPHIÆ PHILOSOPHICÆ NORMAM EXARATA

TYRONUMQUE USUI ACCOMMODATA,

Auctore JOSEPHO CAPURON,

Doctore Medico Parisiensi, necnon Medicinæ latinæ obstetriciique Professore.

Apparet, non esse, cur desperent medici, fore aliquando, ut ingens morborum humanorum numerus, exemplo ab historiæ naturalis scriptoribus petito, in ordinem systematicum redigatur. GAUBIUS, *de Ord. Morb. differ.*

PARISIIS,

Apud J. A. BROSSON, viâ vulgò Pierre-Sarrazin, n°. 6.

M. DCCC. IV.

PRÆFATIO.

Non solùm neoterici, sed etiam veteres occupatum in ordinandis morbis habuere animum. Quippè cùm innumeras quibus humanum genus affligeretur infirmitates sigillatìm concipere non possent, necessitate coacti sunt ut adeò ingentem morborum numerum ad genera quædam universaliora reducerent, ne memoria quasi oppressa oneri cederet, neve practici in perpetuâ rerum confusione versarentur (1).

Quamobrem temporibus etiam remotissimis, cùm medicina rudis adhuc et imperfecta vix cunabulis excederet, quidam extitisse perhibentur viri cordati qui propria et genuina morborum symptomata, varias ipsorum periodos atque curationes sedulò observarent, posteà verò ex iis quæ sensibus obvia essent de rebus affinibus obscurioribus conjecturam severiori ratiocinio facerent (2). Cujus autem methodi auctores per analogias inducti quas inter mala eorumque curationes assiduè observarent, morbos omnes in summa genera diviserunt, undè *Methodicorum* nomen sortiti sunt (3).

(1) *Selle*, Method. ordinandi, § 24.
(2) *Kloekhoff*, l. c.
(3) *Ammanus*, præfat. ad *Cœlium Aurelianum*, pag. 10.

Empirici quoque ab eo præsidium sumpsisse memorantur quod experientia in ipsis curationibus edoceret; cùmque ignotum morbi genus incideret, protinùs investigabant cui morbo id proximum esset, remediaque tentabant similia illis quæ vicino malo sæpe succurrissent (1).

Neque aliam profectò viam tenuit *Hippocrates* qui insignis medicinæ princeps ab ævo salutatur. Siquidem venerabilis senex, cùm acrem assiduamque observandis hominum miseriis operam navaret, morbos non arte sed naturâ curari percepit, totumque proinde medici officium in hoc triplici cardine, languentis scilicet naturæ erectione, furentis refrenatione, errantisque reductione, consistere haud immeritò asseveravit (2).

Protoparentis autem ingenium imprimìs eluxit, cùm ex assiduis et innumeris observationibus ad conceptus generales assurgeret, unde deprompta sunt eximia quæ *de Morbis et Affectionibus* opera tradidit, *selectissimique Aphorismi* et *Praenotiones Coacae*, vera et inconcussa artis nostræ fundamenta, atque ære perenniora antiquitatis monumenta, quæ maximam tot elapsis jam sæculis admirationem fecerunt,

(1) *Celsus*, præfat. l. 1, p. 9, 10.
(2) *Sydenham*, præfat.

quæque per futuras generationes ad seros usque nepotes transitura sunt.

Ex quibus manifestum est causarum et naturalium actionum quæstionem apud veteres ideò supervacuam fuisse, quoniam incomprehensibilis natura sit : nec post rationem medicinam esse inventam, sed post inventam medicinam rationem esse quæsitam. Tunc ergò temporis majores erant medici qui elingues ab usu et experimento medendi vias traxerunt, quàm qui sine usu et experimento linguam suam solâ disputatione excolerent (1).

Quod utinam posterioribus sæculis idem sentiendi atque ratiocinandi modus invaluisset ! Quamvis enim nulla præter medicinam ars alia adeò longo usu atque experientiâ indigeat (2), attamen, si quilibet artifex unico tantùm morbo cognoscendo operam impendisset, tanta nostris temporibus non esset observationum penuria, medicinaque nunc perfectior atque minùs angustis circumscripta limitibus cæteras inter disciplinas præstaret et excelleret, neque medici unquam in vulgi contemptionem venissent aut amaros cavillatorum sales experti fuissent.

Verùm, proh dolor et opprobrium! quam-

(1) *Celsus*, præf. locis citatis.
(2) *Morton*, præfat. ad phthisiologiam.

vis *Serapion*, primus omnium quos *empiricos* vocant, nihil rationalem disciplinam pertinere ad medicinam professus fuisset, eamque in usu tantùm et experimentis posuisset, omnium tamen ferè medicorum animos invasit ratiocinandi aut philosophandi prurigo : quasi medicina ars disputandi non sanandi esset, morbique eloquentiâ non remediis vincerentur (1).

Quâ discurrendi cacoëthe præ cæteris olim pruriebat Galeni ingenium, cujus doctrina universum penè medicum orbem contaminavit. Ex eo nempè tempore omissa penitùs ars hippocratica, quâ vera tamen medicinæ principia innitebantur ; jam morbos non observari ampliùs, sed de illis inanes et perridiculas moveri quæstiones : hinc meræ hypotheses, opinionum diversitas, vanaque doctrinarum et demonstrationum farrago quæ in plerisque medicinæ systematibus ubique obviàm reperitur, quæque à nudis experientiæ debitè institutæ factis detraxit (2).

Ergóne mirum est medicos extitisse quibus verba quidem superessent, deesset verò medendi scientia (3) ? Disruptâ siquidem theoriam inter et praxim concatena-

---

(1) *Celsus*, locis jam citatis.

(2) *Selle*, Method. ordin. § 41.

(3) *Celsus*, præfat. locis citatis.

tione, quidam boni esse potuerunt theorici, ad praxim tamen exercendam inepti, et è contrario habiles existere exercitatores in theoriâ haud quaquam versati (1).

Quamvis autem à Galenicis sæculis ad hodierna usque tempora immoderata disputandi cupido vicerit, non nulli tamen viri optimi et maximâ prudentiâ præditi identidèm extiterunt, qui perversum sui sæculi sensum deplorarent, atque coetaneos perstringerent quòd veterum doctrinam non sequerentur (2). Cui verò artis depravationi ut correctionem adhiberent, medicos hortati sunt ut chimericam causarum physicarum investigationem otiosis committerent philosophis, totoque animo medicamentorum atque morborum vires, quæ per operationes inveniri possunt, expenderent et ad leges revocarent (3).

Sed ne his quidem sapientum monitis compressa fuit immoderata argumentandi prurigo, adeò jam medicorum animis tenaciter accreverat: non solùm enim de morborum causis, imò etiam de ipsorum nominibus disputatum. Non nulli siquidem fuerunt qui, audito uno alterove cardinali symptomate, statìm et præmaturè

---

(1) *Selle*, Method. ordin., § 43.
(2) *Sydenham*, præfat.
(3) *Pitcairn*, opusc. Roterod. 1714, pag. 3 et sequent.

nimis nomina morbis imponerent, totamque superstruerent nomini indicationem (1): quo factum est ut variis nominibus sæpè eumdem morbum indicarent; aliàs et plerumque ex symptomatibus, neglectâ causâ, nomenclaturam deducentes tot finxerunt nomina quot paulò graviora symptomata in febrili praxi occurrebant (2).

Inde verò sexcentæ methodi quæ nullam utilitatem, sed maximum potiùs arti detrimentum attulêre (3), quoniam meris hypothesibus, non morborum similitudine, inniterentur. Neque tamen defuerunt medici magni nominis qui harum divisionum damna perspexerunt, quique ea reparandi viam indigitarunt. Illud autem inter præcipua artis desiderata reponebant, ut inveniretur theoria quæ à praxi felicissimè esset deducta, ad eamque rursus accommodata (4); quæ à differenti morborum causâ, symptomatibus et indicationibus derivaret (5); quæ non in nominibus dumtaxàt morborum inveniendis sese utilem præstaret, sed præcipuè facilem ad eruendas curationes viam expediret (6); quæ

(1) *Van-den-Bosch*, Histor. epid. vermin.
(2) *Tissot*, l. c., p. 14.
(3) *Selle*, Method. ordin., § 43.
(4) *Freind*, in præfat. ad emmenolog.
(5) *Morton*, Pyrethol. de febre inflamm., c. v, § 1.
(6) *Gaubius*, § 840.

indicationem aliquam communem multis ægritudinibus titulo dispari utentibus respondentem suppeditaret (1); quæ unum eumdemque morbum, ubi eadem est causa, indicationes etiam eædem atque eadem symptomata solo tantùm gradu distincta, uno quoque eodemque nomine insigniret (2); quæ demum singulos quosque morbos in tot species distingueret, quot sunt morbi primarii aut causæ vehementes et constantes à quibus producuntur (3).

Quibus ità expositis, liquet momentosum de morbis ordinatè disponendis problema, cujus in indagine plurimi quidem insudarunt medici (4), pauci verò operam sat utilè posuerunt (5).

Denique nostris hisce temporibus eo loci res erant, ut medici in obscurum nosologiæ labyrinthum sese magis ac magis inducerent, cùm pervulgata fuit *Nosographia Philosophica*, quæ, ut opinamur, suprà recensita sapientum medicorum desideria explevit atque omnibus problematis ab ipsis propositi conditionibus sa-

---

(1) *Hebeinstreit*, Progr. de Method. morb. ordin., specim. primum, pag. 14.

(2) *Morton*, loco citato.

(3) *Baglivi*, Prax. med., l. 2, cap. 9.

(4) *Linneus*, *Sagar*, *Vogelius*, *Sauvagesius*, *Cullenius*.

(5) *Selle*.

tisfecit (1). Auctor enim eruditissimus *Phil. Pinel*, certam experientiæ, quam *Hippocrates* aperuerat, viam insecutus, cùm plures per annos indefessam, tùm in pervolvendis morborum historiis tùm in observandis eorum symptomatibus, operam dedisset, ad expediendam in tantâ rerum multitudine confusionem animum applicuit. Itaque inter objecta individua primùm comparationem instituit, mox similibus consociatis, et abstractis dissimilibus, morbos omnes in classes, ordines, genera et species distribuit, adeòque claram concinnavit methodum, ut eam unusquisque naturali venâ fluentem credat, nisi ex animo insitas opiniones evellere fugitet veritatique obfirmatè resistat.

Verùm rem potiùs exemplis quàm verbis illustrare licebit: nonne enim febres omnes *gastricae* seu *biliosae*, licet typi ratione differant, iisdem tamen foventur causis, iisdem stipantur symptomatibus, iisdemque curationibus sanantur (2)? Quisnam igitur eas dissimiles dicere ausus fuerit, nisi rectas et accuratas tot veterum et recentum medicorum definitiones expungere

(1) Vide suprà exposita desideria *Freind*, *Morton*, *Gaubii*, *Hebeinstreit*.

(2) Vide Medicinæ Elementa, ord. II; Nosograph. philosoph., fièvr. méningo-gastriq.

maluerit (1)? Porrò morbi similes ex affinitatis et cognationis legibus in eodem ordine reponendi sunt, cujus genera ex typorum causarumve diversitate derivantur.

Pariter phlegmasias quibus muciparæ membranæ afficiuntur, ophthalmiam scilicet, anginam, blennorrhagiam, etc., triplici causæ, symptomatis et indicationis respectu similes esse nemo ibit inficias. Quid esset ergò quamobrem in diversis ordinibus reponerentur?

Præetereà laudati *Philip. Pinel* Nosographia non solùm utilis est, quòd morbos similes similibus accenseat, sed etiam quòd à notionibus simplicibus ad complicatas seu compositas procedat; adeò ut practici hac theoriâ imbuti, cùm ad ægrorum lectos accedunt, mala etiam intricatissima enodare et quasi ad elementa sua redigere possint.

Neque movere debent quæ longè prævidentur quorumdam improperia medicorum, cùm morbos nunquàm simplices, complicatos verò semper reperiri clamant. Quamvis enim quod objiciunt id verum esset, philosophica tamen quam defendimus non idcirco repudianda methodus;

(1) *Morton*, *Hebeinstreit*, vide suprà recensita eorum vota.

quippe quæ mentis humanæ tenuitati accommodatur et ad resolvendas medicinæ ambages conducit. Veruntamen, si rem ut in se est considerare cupiant, obtrectatores ad veterum recentumque medicorum, *Hippocratis* scilicet, *Foresti*, *Hoffmanni*, *Maximil. Stoll* atque *Phil. Pinel* opera remittimus. Quæ cùm attentè perscrutaverint, dicant, si libuerit, utrùm morbi nunquam simplices, an semper complicati extiterint.

Nunc verò, si methodos hactenùs adoptatas excutiamus, quantam idearum vacillitatem rerumque confusionem animadvertimus! in *Sauvagesii* theoriâ nullus stabilis nexus, nulla ferè ordinatio, nulla philosophica notionum series (1), sed morborum similium disjunctio, dissimilium consociatio, infinitus generum numerus, repetitiones innumeræ quæ, nedùm tyronum laborem levent, nimis arduum reddunt, memoriæque gravius quàm ut ferre possit onus imponunt. Neque perfectiorem nomenclationem construxerunt celeberrimi *Boerhaavius* et *Stollius*, quandoquidem in operibus suis morbos omnes promiscuè et confusè posuerint. Atqui *G. G. Selle* meliùs de arte nostrâ meritus est, cum indicantium similitudine super-

---

(1) *Selle*, Method. ordin., § 23.

struxit ordinandi methodum, quam tamen adoptare hodie nefas est ; siquidem *Pyrethologiae Rudimenta*, præterquam quòd incompleta sunt, ansam reprehensionis habent quoniam febres simul et phlegmasias in eisdem reponant ordinibus, compositaque genera conficiant, unde accuratis philosophicæ analysis legibus non aptissimè concordant.

Quæ cum ità se habeant, manifesta sunt laudatæ *Nosographiae* utilitas et commoda (1) ; siquidem ità comparata fuit ut pristinum theoriam inter et praxim nexum renovatura sit, atque medicos ad veterum doctrinam revocatura, nisi inanium hypothesium studio et amore capti, experientiæ atque veritati omni valedixerint. quamnam ergò haberemus excusationem, si mancas veterum sæculorum nosologias admittere nobis esset in animo ?

Itaque pergrata tyronibus nos officia præstituros existimamus, si morbos latino sermone quo nunc scholæ utuntur exaraverimus ad normam *Nosographiae philosophicae* quæ in omnium qui in Europâ sunt sive tyronum sive medicorum manibus versatur. Cæterùm benevolos lectores admonitos volumus nos huic opusculo elementorum formam dedisse, quoniam illud

(1) Vide infrà Prolegom., § de nosologiâ.

amantissimis medicinæ Alumnis dicamus. Præmissis igitur prolegomenis, quæcumque ad morborum causas et symptomata pertinent, hæc à *Nosographiâ* excerpsimus; quæcumque verò ad prognosim, prophylaxim, autopsiam et curationem respiciunt ex eodem fonte vel ex celeberrimorum medicorum operibus deduximus: felices nos, si temporis usuram cum operis utilitate compensaverimus!

NOVA MEDICINÆ ELEMENTA.

PROLEGOMENA.

SECTIO I.

Definitio medicinæ, sanitatis, morbi.

Medicina est ars sanitatem tuendi et morbos debellandi.

Sanitas autem definiri solet ille status hominis viventis in quo functiones ipsi propriæ apposite ad naturæ leges, id est, liberè, facilè et jucundè exercentur.

Morbus verò is dicitur status in quo homo cum molestiâ et ægritudine vitæ munere defungitur, seu in quo una aut plures vitæ functiones insigniter læduntur.

SECTIO II.

Divisio medicinæ in physiologiam, hygienen, pathologiam et therapeuticen.

Duplex medici officium, nunc hominem quam diutissimè servare incolumem, nunc morbos quibus tenetur æger in sanitatem convertere.

Universum proinde medicinæ institutum in duas partes distribuitur, quarum prior de sanitate, posterior de morbis doctrinam exhibet. Illam physiologia et hygiene, hanc pathologia et therapeutice absolvunt.

Physiologia, sermo de naturâ, humanæ œconomiæ leges, vitæ et sanitatis principia, naturam, causas et functiones investigat.

Hygiene auxilia, regulas et præcepta tradit quibus vitæ et sanitatis incolumitas servari possit.

Pathologia, ut vocis significatio indicat, de morbis disserit, ipsorumque causas, symptomata et nomenclationem considerat.

Therapeutice morbos curandi methodum edocet.

SECTIO III.

Divisio pathologiæ in œtiologiam, symptomatologiam et nosologiam.

Eam pathologiæ partem quæ de morborum causis disserit, ætiologiam, quæ de symptomatibus, symptomatologiam, quæ de nomenclatione, nosologiam nuncupare licebit.

SECTIO IV.

De œtiologiâ seu de morborum causis.

Morbi causa vulgò duplex : alia prædisponens, alia efficiens.

Causa *prædisponens* ea est corporis humani conditio quæ ad suscipiendum, datâ occasione, morbum disponit.

Causa *efficiens* ea est occasio quæ dispositioni superveniens morbum generat aut efficit.

Medici quoque distinguere solent inter causam internam et externam. Prior vocatur vitium quodcumque in corpore radicatum, solidis partibus æquè ac humoribus adhærens, ideòque latens, et incertâ tantùm conjecturâ cognitum.

Posterior verò ea est quæ foris admota homini, suâ vi agens, sensibus plerumque manifesta, morbum parit.

Theorici, qui distinguendo satiari nequeunt, morborum etiam causas sive *materiales* sive *formales*, admittere volunt: sic diathesim inflammatoriam frigiditate contractam, materialem febris inflammatoriæ causam vocant. Quâ verò corporis conditione fit, ut supradicta diathesis phlogistica nunc laryngis, nunc pleuræ, nunc pulmonum inflammationem producat, hæc ab ipsis *causæ formalis* nomine insignitur.

Alii denique morbi principium ab ipsius causâ distinctum amant: verùm cavillationes illas, quæ ab omnibus non admittuntur philosophis, exsuscitare non habemus in animo, cùm jam de causis exposita sufficiant.

Hoc autem scire magis expedit, quod etiam monent *Sydenhamus*, *Gaubius*, *Selle*, etc., nimirùm

varios morbos unâ eâdemque causâ foveri, atque, vice versâ, eundem morbum variam posse causam agnoscere.

SECTIO V.

De causarum fontibus.

Causæ prædisponentes è quadruplici fonte oriri solent, vario scilicet corporis habitu, ætate, sexu, vitæque genere.

Causæ efficientes, physicæ vel morales, externæ aut internæ, sextuplici ex origine derivari possunt, nimirùm circumfusis, applicatis, gestis, ingestis, excretis aut retentis, et perceptis.

I°. *Circumfusis :* aëre cujus varia temperies, calore, lumine, contagio, miasmate.

II°. *Applicatis :* vestimentis, vinculis, oneribus, irritamentis corpori humano admotis.

III°. *Gestis :* ambulatione, cursu, equitatione, nixu, cantu, pervigilio, denique immodico corporis et animi exercitio.

IV°. *Ingestis :* cibo et potu, venenis, medicamentis.

V°. *Excretis* et *retentis :* alvi egestione, urinæ mictu, crebriori spermatis ejaculatione, ptyalismo, expuitione, sudore, hæmorrhagiâ, phlebotomiâ, etc. vel iisdem retentis, suppressis aut neglectis, itemque exanthematibus retropulsis aut metastasi quâcumque.

VI°. *Perceptis :* videlicet perversis, effrenatis, aut exasperatis animi affectibus et abalienatis mentis facultatibus.

SECTIO VI.

De symptomatologiâ.

Symptoma, si ad vocis significationem spectes, idem sonat ac *casus*, *eventus*, *accidens*.

Theorici aut systematici multùm olìm de symptomatibus litigarunt. Distinguebant enim inter symptoma causæ, symptoma morbi, et symptoma symptomatis : quibus insuper *epigeneseos* doctrinam addebant.

Verùm disputationes illæ, logomachiam penè redolentes, artis dignitatem profectò dedecent, ideòque à sanioribus nunc repudiantur medicis.

Itaque practici quorum ea mens est, ut opere potius quam verbis medicinam demonstrent, per symptomata intelligunt quæcumque in morbi decursu eveniunt aut accidunt, quæque medici aut ægri sensibus obvia, artificiosâ non egent conjecturâ ut detegantur.

Cum autem morbus quædam sit sanitatis negatio, seu insignis vitæ functionum alteratio, symptomata idcircò definiri possunt mutationes seu læsiones sensibiles in functionibus quarum integritas sanitatem constituit.

Hinc patet, 1°. morbos per symptomata signifi-

cari, cum nullus morbus absque symptomatibus existere valeat.

2°. Eò accuratiorem obtineri morbi descriptionem quò ejus symptomata rectiùs enumerantur.

SECTIO VII.

De morborum diagnosi.

Diagnosis ea est intellectûs operatio quâ morbi cognitio acquiritur adeò clara ut ab alio quocumque discernatur.

Morbus autem, causâ et symptomate innotescit: ergò necessaria utriusque accurata exploratio; quâ sepositâ aut neglectâ, vitari nequit errandi periculum.

Causa quidem sæpe latet atque medici indaginem fugit; verùm symptomata, cum sensus percellant, observari possunt, eaque ad morbi cognitionem ducunt.

Is porrò artifex in perlustrandis et explorandis morborum phænomenis eò præstabit magis quo eruditiora et perspicaciora habebit sensuum organa, nosocomia quò frequentiùs adibit, adversæque valetudinis signa attentiùs observabit, ingenio demùm quò subtiliori præditus erit, ut observata methodico disponat ordine, eaque, pro re natâ, in memoriam revocare possit.

SECTIO VIII.

De morborum prognosi.

Prognosis ea est intellectûs operatio, quâ futurus præsagitur morbi exitus.

Morbi, quotquot sunt, vel in sanitatem, vel in alium morbum, vel in mortem abeunt: hinc prognosis fausta, periculosa, et infausta seu lethalis.

Nunc quidem morbi exitus absque ullo errandi periculo prænunciari potest, nunc verò res in ancipiti hæret, adeòque intricatis implicatur nexibus, ut etiam peritos lateat: hinc prognosis modò certa, modò probabilis, modò dubia aut incerta.

Futura autem prævidere et prænunciare quid divinum; ergò non licet omnibus certum morbi finem vaticinari, cum vel peritissimi artis magistri conjecturâ aberrent. Hoc unum pro certo tenendum est, summam videlicet in investigandis morborum causis et symptomatibus, ponderandâque eorum intensitate adhibendam esse cautelam, ut funesti turpesve saltem vitentur errores.

SECTIO IX.

De therapeutice seu morborum curatione.

Morbi curatio est ipsius in sanitatem conversio.

Theorici autem, qui, sublatâ causâ, effectum quoque tolli existimant, triplicem idcircò morbi cu-

rationem admittunt, 1°. *essentialem*, quæ in auferendâ causâ materiali versatur; 2°. *specialem*, quæ causæ formali opponitur; 3°. demùm *symptomaticam*, quâ profligantur symptomata seu phænomena in morbi decursu accidentia et ab aliis causis ad morbi existentiam haud pertinentibus producta.

Practici verò, quos sæpè, irritâ indagine, morbi causa latet, suprà memoratam distinctionem, cùm ad nullam ferè utilitatem respiciat, perparùm curant.

Quamobrem, cum ex morbis alios leviores atque periculo immunes esse, alios contrà graviores mortem ægris minitari observent, nunc proindè solam sufficere vim naturæ medicatricem ad redintegrandam sanitatem, nunc verò hosti debellando imparem esse arbitrantur. Ergò duplicem curandi methodum admittunt, aliam quâ medicus expectantis seu spectatoris etiam vices gerit, ne salutari obstet naturæ molimini, aliam quâ opportunum affert adversæ valetudini præsidium.

Unde liquet morbos non arte sanari, sed naturâ cujus ars minister est. Totum autem artis ministerium hoc præcipuè volvitur ut languentem naturam erigat, furentem refrænet, errantemque reducat; quæ omnia prudenti tum *diætæ*, tum *medicamentorum* præscriptione obtinentur.

Ad *diætam* spectat abstinentia cautusve ciborum usus.

Medicamenta definiri solent substantiæ quæ cor-

pori applicatæ aut ingestæ statum ejus meliorem facere possunt.

Medicamentorum autem alia externa, ut missio sanguinis, hirudines, vesicantia, cucurbitulæ, caustica, balnea, frictiones, cataplasmata, etc.; alia verò interna, ut emetica, purgantia, tonica, narcotica, sudorifica.

Insuper ad curandos morbos plurimùm faciunt debita aëris temperies, moderatus somni et vigiliæ, motûs et quietis nec non vestimentorum usus, itemque justa excreta inter et retenta proportio, placida animi pathemata.

SECTIO X.

De nosologiâ.

Nosologia ea est pathologiæ pars quæ de methodicâ morborum ordinatione disserit: ingens autem et innumerabilis, ne infinitum dicam, morborum numerus; quippè qui origine, sede, cursu, gradu, indole, eventuque differunt.

1°. Quidem *morborum differentiæ ab origine;* alii scilicet *hæreditarii*, qui à parentibus in sobolem, per plurimas aliquandò generationes, ad ultimos usque nepotes traducuntur; alii *acquisiti* seu *adventitii*, qui homini nato ex causis quibuslibet accidunt.

Hùc etiam *primarii* morbi, qui ex suâ causâ in homine sano, et *secundarii*, qui ex alio morbo nascuntur.

Memorabilis etiam morborum distinctio pro diverso anni tempore, ætate, sexu, temperamento, vitæque genere. Hinc morbi *vernales*, *æstivi*, *autumnales* et *hiemales*; morbi *infantulorum*, *puerorum*, *juvenum*, *adultorum*, *senum*; morbi *muliebres* et *viriles*; tandem morbi quos *temperamentorum* et *artificum* vocant.

Nec prætermittenda divisio in morbos *contagiosos*, *epidemios*, *endemios* et *sporadicos*.

Contagiosus dicitur qui immediato vel mediato contactu suscipitur aut communicatur.

Epidemium vocant morbum vulgarem, seu, ut ait *Scaliger*, vulgivagum, cujus scilicet causa et generatio multis hominibus communis est.

Endemius appellatur morbus vernaculus, seu cujusdam regionis incolis cognatus.

His opponitur morbus *sporadicus*, seu non gregalis, qui non ex generali causâ, sed ex proprio cujuscumque vitio pendet.

2°. *Morborum differentiæ à sede*: hinc scilicet morbi *externi* et *interni*; *fixi* qui in unâ sede morantur; *vagi* qui è loco in locum migrant; *retrogradi*, qui è partibus extremis introrsùm regrediuntur; *universales*, qui universam corporis substantiam; *particulares*, qui singularem ipsius locum obsident.

Distingui possent etiam morbi, quatenus solida aut liquida afficerent. Indè verò quanta pullularet morborum series! Quis eorum enumerationem non

desperaret, prout ossa, musculi, membranæ, vasa, nervi, aut sanguis, lympha, bilis cæterique penè infiniti corporis humores affligerentur ?

Imprimis autem notanda est distinctio morbum *idiopathicum* inter et *sympathicum*. Prior est cujus causa in eâdem parte residet in quâ symptomata se se manifestant; posterior verò dicitur, cum pars aut functio aliqua non propriâ sed alienâ labe per consensionem aut sympathiam laborat.

3°. *Morborum differentiæ à cursu* : qui celeriter et cum periculo stadia decurrunt, *breves* et *acuti;* qui verò lentè, *longi* seu *chronici* nuncupantur.

Alii à primâ invasione ad finem usque eundem tenorem servant, et ideò *continui;* alii cursum ità interrumpunt, ut morbus et sanitas quasi alternare videantur, et *intermittentes ;* denique hos inter et illos morbi continui quidem, sed nunc acerbiores, nunc remissiores, et *remittentes* appellantur.

Morbi quoque *regulares aut irregulares*, *periodici* vel *anomali* dicuntur, cum eorum circuitus in tempora æqualia aut inæqualia dividitur.

4°. *Morborum differentiæ à gradu* : morbus siquidem exorditur, crescit, perstat, decrescit, et desinit : hinc morbosi stadii divisio in *exordium*, *incrementum*, *statum*, *declinationem ac finem* ; quæ non tam morbos ab invicem quam varia morbi tempora seu periodos inter se distingunt.

5°. *Morborum differentiæ ab indole* : alius quidem *parvus* ac *levis* est, alius verò *magnus* et *in-*

tensus ; alius *mitis* et *benignus ;* alius *ferus* et *malignus ;* alius aptâ medicatione *tractabilis*, alius arti *refractarius*, etc.

Recentiores etiam morborum divisionem in *passivos* et *activos* superaddiderunt. Hi sunt, in quibus vitale principium activa symptomata producit, seu in quibus *motilitas*, *sensibilitas* et *caloricitas* exacerbantur ; illi verò, in quibus naturæ vires omninò languent aut mali gravitate opprimuntur.

6°. *Morborum differentiæ ab eventu ;* indè generalis morborum divisio in *medicabiles* et *immedicabiles ;* in *ancipites*, *periculosos* et *lethales ;* in sponte suâ *cessantes* et *perseverantes* ant *recidivos*.

Hujus etiam loci censentur crises de quibus apud veteres, imprimisque apud *Hippocratem* et *Galenum*.

Crisis autem, si ad vocis etymologiam spectes, idem ac judicatio sonat, proindeque ab artis protoparentibus definiebatur motus repentinus ac perturbationis plenus, qui mutuo naturam inter et morbosam materiem conflictui finem imponebat, ægrique salutem vel mortem decernebat.

Inde *crisis* multiplex, *bona* scilicet aut *mala*, *excretoria*, *translatoria* seu *metastatica*, *simplex* aut *composita*, *perfecta* aut *imperfecta*.

Suprà recensitas porrò morborum differentias quisquis attentè perpenderit, is profectò sentiet illas ad rerum naturam minimè respicere, ideòque pro nomenclationis fundamento poni non posse.

Peroptanda igitur et inquirenda est merè philosophica ordinandi methodus, quâ morbi similes similibus accenseri, ingens eorum numerus ad universaliora quædam genera revocari, idearum vacillatio stabiliri, rerum obscuritas elucidari, tyronumque labor sublevari possit. Cum autem morbos individuales sigillatìm enumerare et concipere humani ingenii captum prætervolet, unica superest via quæ ad indagati problematis solutionem ducere potest, nimirùm ars abstrahendi, morborum similitudinibus et dissimilitudinibus superstructa; quam, non solùm ad expediendam in tantâ morborum multitudine confusionem, memoriamque fulciendam, verùm etiam ad novas rerum occurrentium cognitiones digerendas, plurimùm conferre norunt omnes scientiarum contemplatores.

Multiplex autem ad hodiernam usque diem edita fuerat ordinandi methodus; sed ne ullam quidem adoptare fas erat, cui sua non exprobrarentur damna et incommoda. Alia siquidem innumeris repetitionibus fastidium et nauseam movebat; alia symptomata quædam inter morbos recensebat; alia affectus naturâ diversissimos conjungebat, et, vice versâ, naturâ congeneres dissociabat; alia etc.

Quibus difficultatibus, quoad poterimus, ut occurramus, universam morborum seriem dispescere nobis arridet juxtà methodum in gymnasio Parisiensi usitatam, atque ab eruditissimo præceptore nostro *D. Philippo Pinel* excogitatam.

Morbos igitur ad quinque contrahemus *classes*, quarum prima de *febribus*, secunda de *phlegmasiis*, tertia de *hæmorrhagiis*, quarta de *neurosibus*, quinta de *morbis lymphaticis* sermonem habebit.

Cum autem morbi omnes in hâc nomenclatione locum obtinere nequeant, peculiarem subjungemus de *indeterminatis* appendicem.

Plurimis quidem, sed chimericis objectationibus hanc morborum distributionem impugnatam fuisse non ignoramus, iterùmque impugnari posse nemo ibit inficias. Quid enim sub sole quod mordacem criticorum dentem fugere valeat? Laudati tamen professoris Nosographiam, philosophicâ analysi innixam, naturalibusque humani ingenii facultatibus accommodatam, cæteris ideò quæ jam veterascunt nosologiis præstantiorem existimamus, avidoque amplexu et libero quasi plausu admittimus.

Cæterùm quod celebramus systema, hoc non sterile tantùm, atque in solâ speculatione positum commentum dici debet; quippe quod constanti experientiæ et observationis testimonio suffultum morbos diversæ naturæ ab invicem separat, et ejusdem indolis quasi in fasciculum colligit; sicque, sublevatis memoriâ et ingenio, non solùm ad medicinæ doctrinam sed ad praxim quoque viam sternit facillimam. Indè manifestum est *Nosographiam philosophicam* ità ab auctore fuisse comparatam, ut omnia, quæ plurimis abhinc sæculis peroptabant et inquirebant medici, complectatur. Ne longum sit, præ-

clarus *Philippus Pinel* filum dedit ariadneum cujus ope tyrones ex anfractuoso nosologiæ labyrintho se extricare possunt.

Quæ igitur in mineralogiâ, botanice, zoologiâ, cæterisque historiæ naturalis partibus jampridem obtinuit analysis, eandem etiam, cum pergratissima, et perfacillima, et perutilissima sit, ad describendas humani generis infirmitates usurpabimus.

Morbos itaque simplices primùm, mox compositos vel complicatos considerabimus; eorum species abstractionis viâ comparabimus, sicque ad genera, ex his ad ordines, tandem ad classes quasi per gradus assurgemus.

PRIMA MORBORUM CLASSIS.

FEBRES.

MULTUM à primis etiam medicinæ incunabulis insudatum ut recta et accurata inveniretur febris definitio; nec investigationis ardorem remiserunt neoterici. Alii quidem *Sthalio* duce febrem esse volunt quoddam vitalis principii seu naturæ molimen, quo nociva quæcumque corpore eliminare conatur: alii verò, *Boerhaavii* assectatores, in omni febre horripilationem, pulsum velocem, calorem, vario febris tempore varioque gradu adesse existimant.

Talibus in confutandis aut defendendis definitionibus, cum minimæ sint molis, tempus et oleum perdere profectò dedeceret; præterea, cum febris generatìm considerata inter abstractas ideas reponenda sit, quis illam ita clarâ et concinnatâ definitione explicabit, ut illius naturam aut essentiam capiat. Absit igitur ut inutilibus immoremur nugis, siquidem dari nequit verè philosophica febris definitio, quæ scilicet omni solique rei definitæ conveniat. Febres ergò methodicè ordinare, quam accuratissimè poterimus describere, earumque curandarum rationem assignare properamus.

Febrium classis à laudato Nosographiæ auctore in sex distribuitur ordines, quorum primus *febres angiothenicas* seu *inflammatorias*, secundus fe-

bres *meningo-gastricas* seu *biliosas*, tertius febres *adeno-meningeas* seu *pituitosas*, quartus febres *adynamicas* seu *putridas*, quintus febres *atactas* seu *malignas*, sextus febres *adeno-nervosas* seu *pestilentiales* complectitur.

ORDO PRIMUS.

Febris angiothenica seu inflammatoria.

Unicum existit febris angiothenicæ genus, quod duas in species scinditur, ephemeram scilicet inflammatoriam, et synocham simplicem.

PRIMA SPECIES.

Ephemera inflammatoria.

Causæ. Corporis habitus plethoricus; ætas adulta; subita aëris frigidi impressio, æstuante corpore; insolatio; victus lautus et immodicus; bacchi abusus; exercitium vehemens; pervigilia; ira, furor; membri resectio, etc.

Symptomata. Ineunte morbo, levis horripilatio; mox calor ingens, continuus, non mordicans; corporis halitus; facies rubra; pulsus fortis, plenus, celer; sitis major aut minor.

Hinc *diagnosis*.

Prognosis. Febris inflammatoria nunquam infausta, intrà nyctemerum, triduum, quatriduum

ut maximè, sudoribus quàm plurimùm, aliquandò urinis judicatur.

Curatio. Expectationis via tenenda, ne interturbetur naturæ molimen; quies animo et corpori concilianda; cibi subtrahendi; dandi potus aciduli, diluentes; raro secanda vena.

SECUNDA SPECIES.

Synocha simplex.

Causæ. Constitutio lymphatico-sanguinea, robusta; ætas adulta; vita otiosa; frigus acre; calor æstuans; ver primum; alimenta succi plena; calefacientia; abusus alcoholicorum; subita et vehemens exercitatio, post quietem diuturnam; pervigilia; studia acerrima; suppressio evacuationis solitæ, neglectave missio sanguinis, contractaque inde plethora; violenta animi pathemata.

Symptomata. Synocha simplex nunc sine prodromis invadit; nunc verò præludunt levis horror aut tremor; animi deliquium; scotomia aut vertigines; aurium tinnitus.

Quibus ità prægressis, calor cutis; corporis halitus; pulsus durus, frequens, plenus; facies rubra, vultuosa; lacrymantes oculi; pulsatio temporalium; cephalalgia ingens; agrypnia; lingua tamen humida, sitis tolerabilis.

Quartâ circiter die, symptomatum exacerbatio; urina rubra, flammea, densa; cephalalgia

intensior; lingua sicca, ruberrima; sitis molestissima.

Consistente febre, anxietas; delirium; agitatio.

Paulò post, fausta vulgò morbi crisis, sudore copioso, generali; hæmorrhagiâ narium, uteri; hæmorrhoïdibus; urinâ.

Diagnosis. Synocha simplex indagatâ causâ et explorato symptomate innotescit, et ab aliâ febre quàcumque distinguitur.

Septimo autem, undecimo, aut decimo quarto die solvitur, ideòque cum ephemerâ confundi nequit.

Prognosis. Præsagitur 1°. narium hæmorrhagia, oculorum rubore; temporum gravitate; visûs hebetudine; acuto occipitis dolore; lacrymis involuntariis; narium pruritu; pulsu, ut aiunt, dicroto, seu bis feriente.

2°. Sudorem præcedunt urina parca; cutis mollis, pruriginosa; pulsus mollis, undosus.

3°. Critica indicatur urina, hypochondriorum tensione, lumborum gravitate, genitalium ardore.

Hinc fausta prognosis.

Incertus autem, nisi infaustus, semper imminet exitus, congestione factâ in organis vitæ essentialibus.

Quam indigitant, 1°. in encephalo, oculorum scintillatio, caligines, scotomia, vertigo; pulsus durus, plenus; insomnia; terriculamenta; delirium; sopor.

2°. In pulmonibus, ardoris sensus in thorace; dyspnæa, anxietas, oppressio vel suffocatio ad motum levissimum; calor erraticus; sudor.

Curatio. 1°. Si causa levis, mitia symptomata, faustaque criseos præsagia, solam sibi sufficere vim naturæ medicatricem testantur *Hippocrates*, *Sthal*, *Tissot*, *Ph. Pinel*. Tunc dandus solùm cibus tenuis, potus diluens, acidulus: quies animo et corpori concilianda.

2°. Cùm autem æger juventute floret, athletico robore viget, gulæ aut baccho nimiùm indulsit; cùmque morbus sæviori stipatur symptomate, tunc naturam compescere opus est, periculum avertendi gratiâ; ergò, si calor vehementer urgeat, caput graviter doleat, ægrèque trahatur spiritus; denique si futuræ aut instantis congestionis signa extiterint, subitò levandus æger missione sanguinis è talo, brachio, jugulo, etc. cucurbitulis aut hirudinibus, vesicantibus; cibus omninò subtrahendus; dandique solùm potus diluentes, aciduli, nitrati. *Huxham*, *Quarin*, *Dehaën*, *Stoll*, *Pinel*.

Genus.

Facies rubra, turgens; irritatio, tensio arteriosi systematis; assiduus cutis halitus; nulla aut insensibilis exacerbationum et remissionum vicissitudo. Crisis antè diem septimam, vel circà finem secundæ aut tertiæ hebdomadis, per sudorem, hæmorrhagiam, urinam.

ORDO I. *Febris angiothenica seu inflammatoria.*

Causæ. Omnia quibus sanguineum systema irritandi vis inest.

Symptomata. Exæstuatio sanguinei systematis primigenia, generalis, continua, parùm vel nullatenùs remissa et exacerbata, epidemica aut endemica, raró sola, sæpè cum alio febrium ordine aut phlegmasiis complicata.

An febris angiothenica intermittens aut remittens? adhuc sub judice lis est.

ORDO SECUNDUS.

Febris meningo-gastrica seu biliosa.

In hoc febrium ordine tria continentur genera, nimirùm febris biliosa continua, biliosa remittens et biliosa intermittens.

PRIMUM GENUS.

Febris biliosa continua.

Hæc febris trifariàm dividitur, scilicet in colluviem primarum viarum, in febrem gastricam aut continuam, et synocham biliosam.

PRIMA SPECIES.

Colluvies primarum viarum.

Tres hujus speciei varietates, nimirùm colluvies superior, quæ ventriculum et duodenum conspur-

cat, colluvies inferior, quæ intestina obstruit, et cholera morbus.

Causæ. Animus affectu facilis; vita sedentaria; corporis debilitas; continua calidi aëris impressio; habitatio in nosocomiis, carceribus; nulla in victu temperantia; ingluvies; exercitatio vehemens; studia acerrima; tristia animi pathemata; iræ impetus.

Symptomata. 1°. *Colluviei superioris :* cardiæ præmorsus, cibi fastidium; os amarulentum; lingua flava vel albida; nausea; cephalalgia suprà-orbitalis, vertigo tenebricosa, tinnitus aurium.

2°. *Colluviei inferioris :* tensio abdominis; borborygmi; flatus; ructus; lassitudo spontanea; lumborum, femorum, præsertim genuum gravitas. *Hipp. Aphoris.* 17 *et* 20, *sect.* 4.

3°. *Choleræ:* vomitus creber, vehemens; simulque alvi secessus flavus, viridis, ater; tenesmi; tormina; tensio, inflatio vel constrictio abdominis; cardialgia ingens; sitis; pulsus celer, parvus, inæqualis; ardor internus; anxietas; nausea molestissima; sudor; membrorum contractio; animi deliquium; extrema frigida; virium prostratio. *Sydenh. de Cholerâ morbo.*

Diagnosis. Tres jam expositæ varietates facilè ab invicem distinguuntur.

Verùm sæpè falluntur incauti; primarum enim viarum colluvies morbos quasi numero infinitos mentiri potest, ob mutuum ventriculi et intestinorum cum cæteris œconomiæ partibus consensum.

Hinc, obstructo vel infracto intestinali tractu, sæpè observantur motus febriles, aliaque pravæ indolis symptomata, nimirùm carebaria frontalis, phrenitis, delirium, dolor inter scapulas, manuum torpor, aurium susurrus, surditas, debilitas aut virium resolutio, apoplexia, paralysis, in pueris convulsio.

Medicus ergò, quò tutiùs ægris provideat, atque nocivum errorem vitet, sedulus esse debet in explorandis causis et symptomatibus, de quibus suprà.

Prognosis. Colluvies primas vias inquinans, rarò infausta. Cholera morbus, pessimus, sæpè lethalis.

Præterea ventriculus aut intestina conspurcari solent in morbis acutis aut chronicis; inde varius exitus.

Curatio. 1°. Gastrica colluvies, si levis est, spontè sanatur, absque sensibili materiæ excretione, sed moderatâ adhibitâ exercitatione, potu acidulo, fructibus horæis. Si verò saburra, ut aiunt, maximè turgeat, ad emesim recurrendum est, sive ventriculi affectus simplex sit, sive alium mentiatur morbum, sive cum ipso complicetur.

2°. Colluvies intestinorum, si sola, catharsi; si cum superiori, emeto-catharsi impugnanda est.

3°. Cholera morbus, quò sævior, eò curatu difficilior. Molesti autem vomitus, ardor internus, ventrisque tormina potu blando tepidoque lenienda sunt, aquâ scilicet vitulinâ, sero lactis, etc., quæ

per anum etiam injicienda. Abluto autem et lenito intestinali tractu, curatio narcoticis clauditur.

Cùm jam crebri vomitus aut alvi secessus ægrum miserè vexârunt, viriumque debilitas ad extrema ventum esse indicat, *Sydenhamus* tonica antispasmodicis intermiscet, laudani nempè liquidi guttas viginti quinque unicâ aquæ unciâ exceptas propinat; quod remedium bis die, minutâ tamen dosi, ad integram usque sanitatem continuat.

SECUNDA SPECIES.

Febris biliosa continua.

Causæ. Aër humidus et frigidus, vel humidus et calidus; imprimis subita frigoris impressio, æstuante corpore; habitatio in nosocomiis, carceribus, castris, navibus, locis depressis; victus oleosus, pinguis, terrestris, austerus, farinosus, vappidus, putrescibilis; gula; labor immodicus, præsertim ardente sirio; terror, ira, animi ægritudo, pudor, etc.

Symptomata. 1°. *Præludente morbo:* lassitudo spontanea; membrorum dolor vesperè ingravescens; horrores vagi; cephalalgia levis aut nulla; hypochondriorum tensio, gravitas; ructus nidorosi; anorexia; nausea; lingua spurca, tenaci muco obsita, alba, flava; alvus liquida, vel suppressa; pulsus debilis, frequens; jactatio; terriculamenta, præsertim ineunte somno; facies pallida.

2°. *Progrediente morbo:* post horrorem, calor

acris, mordicans, continuus, identidem acerbior; carebaria frontalis; oculi rubri, sufflavi aut virides; saturatior genarum rubor; palpebræ verò, nares, orisque commissuræ pallidæ, flavæ, virides; lingua flava, quasi bysso induta. Os amarum, insipidum, nauseosum; ructus amari, urentes, austeri, subdulces; nausea; vomitus materiæ viridis, porraceæ, æruginosæ, nigræ, acris, acidæ, acerbæ; anxietas; plenitudinis sensus in præcordiis; agitatio; desiderium potûs frigiduli, aciduli, auræve frigidæ, sibilantis, quibus calor et cephalalgia paulisper mitigantur; pulsus plenus, acceleratus; sudor nidorosus; alvi dejectio parca, flava, fætida; flatus olidi; urina flava, crocea, spumea, pinguis.

Diagnosis. Indagatâ causâ et explorato symptomate, patet discrimen synocham simplicem inter et biliosam continuam. Illinc enim facies rubra, turgida; arteriarum tensio, pulsatio ingens; cutis halitus; paroxysmi nulli aut ferè insensibiles; hinc verò facies pallida, flava aut viridis; carebaria frontalis; oris amarities; linguæ spurcities; cutis calor acris, mordax; præcordiorum tensio, dolor; paroxysmi semel aut iterùm die manifesti.

Prognosis eò infaustior, quò causa gravior, symptoma quò intensiùs, etc.

Sanguinis è naribus stillicidium, quartâ septimâve die superveniens, crassioresque alvinæ fæces, faustam crisim decimâ quartâ circiter die futuram præsagiunt. *Tissot, Epid. laus.*

Febris autem gastrica simplex septimâ, decimâ, aut vigesimâ primâ die plerumque judicatur, alvi fluxu, sudoribus, urinis, hæmorrhoidibus, etc.

Curatio. Ad debellandam febrem gastricam continuam, sæpiùs iterata purgantia nocent; inde enim ægrorum debilitas, tardiorque ad sanitatem reditus. Consulendi ergò et imitandi boni nominis observatores, *Tissot*, *Finke*, *Pinel*, quorum ea praxis est, ut, ineunte morbo, primas vias catharsi aut emeto-catharsi expediant, moxque spectatorum morem gerant, de diætetico ægrorum regimine tantùm solliciti.

Præclarus autem *Pinel*, qui plusquàm decennio multiformem hanc febrem observavit, citatâ primùm emesi, vel emeto-catharsi, potus diluentes et acidulos commendat, aquam scilicet mulsam et acidulam, serum lactis, aquam hordeaceam cum syrupo acidulo, limoniorum, cerasorum aut ribesiorum succum aquâ dilutum, saccharoque conditum: qui potus frigidi propinandi, ne febrem exacuant.

Crescente verò et consistente morbo, dari possunt juscula è carnibus juniorum animalium, cum plantis acidulis, acetosâ, intybo, lactucâ, etc.

Tandem decrescente morbo, prædictis addi possunt cibi leves coctuque faciles, cremores scilicet ex oryzâ, hordeo, avenâ, saccharo mitigati, fructus horæi, uvæ, etc.

TERTIA SPECIES.

Synocha biliosa, causus, febris ardens.

Causæ. Corporis habitus sanguineus, plethoricus; arteriosi systematis irritatio; aër fervidus; æstas torrida; loca austro obversa; alimenta opipara; calefacientia; gula; labor nimius, ardente sirio; solitæ hemorrhagiæ suppressio; vehementia animi pathemata, iræ aut furoris impetus.

Symptomata. Febris illa nunc inopinos invadit, nunc verò præludere solet horrore levi, cui succedunt ardor internus; sitis inextinguibilis; anxietas extrema; cutis calor mordax; faucium siccitas; cephalalgia vehemens; faciei rubor; oculorum scintillatio; spirandi difficultas; nausea; vomitus; hypochondriorum dolor; urina cruda, limpida, flammea, ardens.

Diagnosis. Synocha biliosa conjunctis inflammatoriæ simulque biliosæ symptomatibus internotescit.

Prognosis eò infaustior, quò plethora major; ætas quò robustior; aëris æstus quò fervidior; vivendi modus quò intemperatior.

Hæmorrhagia narium, menstrua, hæmorrhoïdes, aut sudor copiosus quintâ septimâve die circiter faustum prænuntiant exitum.

Delirium verò ferox, cephalalgia ingens, convulsio, phrenitidem symptomaticam; dyspnæa, oppressio aut suffocatio, peripneumoniam; intensus

epigastri dolor, sævaque ventris tormina, gastritidem aut enteritidem præsagiunt; hinc exitus infaustus, lethalis.

Curatio. 1°. Ineunte, crescenteve morbo, missio sanguinis eò crebriùs repetenda, quò graviora symptomata, ægri vires quò firmiores: cibi omninò subtrahendi: dandi solùm potus diluentes, laxantes, aciduli, videlicet aqua vitulina levissima, decoctum hordei, oxicratum, limoniorum, aurantiorum aut malorum succus aquâ dilutus, lactis serum cui aceti pauxillùm additur.

Tunc quidem temporis emetica et purgantia nocerent, quippe quæ symptomata exacerbarent; prosunt verò clysmata emollientia et refrigerantia.

Sitis autem intolerabilis, citrorum segminibus ore retentis; cephalalgia vehemens, agrypnia atque delirium, epithematibus emollientibus, frigidis, somniferis ad frontem et tempora appositis, pediluviis; denique ventris tormina aut ventriculi ardor, lenibus frigidisque fomentis levanda sunt.

Aër sæpè renovandus et refrigerandus; removenda procùl lanea stragula.

2°. Decrescente morbo et mitigatis symptomatibus, æger supernè aut infernè evacuandus, si ventriculus aut intestina impurâ colluvie farciantur; somnus parcâ narcoticorum dosi conciliandus, si agrypnia perseveret.

Quibus tamen in administrandis remediis, summâ

cautelâ opus est, ne morbus recrudescat, ægrosque salutis vadum penè assecuturos interimat.

Genus I. *Febris biliosa continua.*

Cardiæ præmorsus; lingua alba vel sufflava; carebaria frontalis; paroxysmi semel aut iterùm die revertentes.

SECUNDUM GENUS.

Febris remittens gastrica aut biliosa.

PRIMA SPECIES.

Febris remittens gastrica simplex.

Causæ. Pueri nunquam, raró juvenes et adulti, sæpè verò senes hâc febre laborant.

Quam generare solent aër insalubris, frigidus et humidus, paludosus; autumnus; potus frigidus, æstuante corpore; exercitatio immodica; animi pathemata, mœror, iræ impetus, terror vehemens, etc.

Symptomata. 1°. *Biliosæ continuæ simul et remittenti communia :* febris continuo tenore pergens; cephalalgia frontalis; lingua albida vel flava; os amarulentum; cardiæ præmorsus, anxietas, etc.

2°. *Remittenti propria :* crescente vel stante febre, completi vel integri frigoris et caloris accessus, anticipati aut retardati, circà meridiem, vesperè, nocte, manè, eâdem aut diversâ horâ revertentes;

vergente autem morbo, simplices caloris exacerbationes seu paroxysmi.

3°. *Symptomata variabilia;* diarrhæa aut vomituritio; major minorve accessuum et paroxysmorum prorogatio.

Diagnosis. Febris biliosa remittens incautos fallere potest; explorata verò symptomata rem elucidant, errandique periculum amovent.

Prognosis. Eò infaustior metuendus exitus, quò intensiora febris continuæ symptomata; remittentis accessus quò sæviores, protractiores; æger quò ætate provectior, debilior, infirmior.

Cæterùm febris remittens gastrica, mitioribus stipata symptomatibus, debitâque medelâ impugnata aliquandò judicatur circà finem secundæ hebdomadis, sudore critico, copioso, crebro, levante. Verumtamen ad vigesimam primam imò etiam ad quadragesimam usque diem non semel protrahitur, irritâ cautelâ quâlibet.

Curatio. Primâ periodo, nausea, sitis, oris, amaror, linguæ spurcities, ventriculi morsus, cephalalgia, emesi aut emeto-catharsi impugnari debent. Expurgatis autem primis viis, subjungendi potus diluentes et aciduli, de quibus suprà.

Secundâ periodo, adhuc crescente febre, iidem propinandi potus; verùm quò faciliùs ægri vires sustineantur, atque integro morbi stadio decurrendo pares esse queant, danda aqua cui pauxillùm vini mediave cerevisiæ pars additur; prosunt etiam

cremores hordei, oryzæ, horæi fructus crudi ignéve subacti.

Tertiâ periodo, vergente morbo, quò citiùs ægri sanitatem recuperent, apponi debent alimenta melioris succi, tonica, amara, absynthites, expressio juniperina, etc. quæ tamen diversimodè pro ætate, sexu, vitæque genere adhibenda sunt.

SECUNDA SPECIES.

Febris remittens gastro-inflammatoria.

Pauciora adhuc dùm extant observata, quàm quæ ad accuratam illius speciei descriptionem sufficiant.

Neque hâc de re nos movet opinio pyrethologi *Selle;* si quidem febrem remittentem definire amat in quâ symptomata acerbiora vel remissiora fiunt; hæc porrò febris eadem est ac suprà descripta.

Prætereà, quam doctor *Selle* in exemplum profert febris remittens, epidemica, et à D. *Home* anno 1743 obvervata, ad remittentem biliosam simplicem revocanda est.

GENUS II. *Febris meningo-gastrica aut biliosa remittens.*

Hujusce febris stadium occupant biliosæ continuæ symptomata, completique frigoris et caloris accessus, qui, decrescente morbo, in simplices caloris paroxysmos mutantur.

TERTIUM GENUS.

Febris meningo-gastrica aut biliosa intermittens.

Febris biliosa intermittens tertianæ aut duplicis tertianæ typum observat; utraque autem regularis aut anomala.

PRIMA SPECIES.

Febris tertiana aut duplex tertiana regularis.

Causæ. Huic febri prædisponuntur imprimis juvenes et adulti quorum biliosa temperies.

Hanc verò generare solent æstas fervida; aër humidus simul et calidus; effluvia paludibus emanantia; egestas; intemperantia; victus insalubris; transpirationis suppressio; exercitatio vehemens; pervigilia; tristia animi pathemata, iræ impetus.

Symptomata. 1°. *Febri gastricæ communia:* nausea; os amarulentum; cephalalgia suprà-orbitalis; facies pallida aut ex viridi flava; ventriculi morsus; anxietas.

2°. *Febri tertianæ propria:* accessus quolibet vel altero quoque die revertentes, tribusque stadiis absoluti, frigoris scilicet, caloris et sudoris.

Frigus autem nunc pedes, manus, extremosque digitos, nunc verò lumbos aut medias scapulas invadit, tuncque vehemens suboritur horror; corpus totum contremiscit; pulsus deprimitur; os amarescit, nauseat: hinc anxietas major aut minor.

Frigoris stadium excipiunt calor acris, generalis; cutis ariditas; sitis ardens; pulsus frequens, impetuosus; narium rubor; facies turgida, quandòque flammea.

Totum denique corpus sudore diffluit, naturalique recuperatâ temperie, æger summâ conqueritur lassitudine, quæ per intermissionem dissipari solet.

3°. *Symptomata variabilia*: varia scilicet stadiorum duratio; hinc frigus calore contractiùs: varia quoque accessionum repetitio; tertiana exquisita, teste *divo Hippocrate*, septem circuitibus ut longissimè judicatur. Antecessor autem noster *Ph. Pinel* è sexaginta hujus speciei febribus triginta sex tertio, quarto, quinto, etc. undecimove circuitu judicatas fuisse memorat, dum inter reliquas viginti quatuor, aliæ ad duodecimum, decimum tertium, aut decimum quartum, aliæ verò pugnaciores ad primum, aut secundum suprà trigesimum protrahebantur accessum.

Hinc diagnosis. Tertiana simplex adeò cognitu facilis, ut imperitissimorum etiam pungat oculos. Duplex verò tertiana cum intermittente quotidianâ ab incautis confundi posset. Attamen in simili casu facilè vitatur error; nam illinc accessus eâdem circiter horâ quotidiè recurrunt, hinc contrà alternis sibi diebus correspondere solent.

Prognosis. Tertiana simplex duplici faustior. Utraque, si præmaturè naturâ vel arte curetur, recrudescere solet, aut ærumnas creare sexcentas.

Inde enim metuendus hydrops, icterus, abdominalium viscerum obstructio vel inflammatio.

Tertiana vernalis curatu facilior quàm autumnalis, quæ cum ægris hibernare aut ineunte vere recrudescere solet.

Curatio. Tertianam febrem solo naturæ molimine curari posse nemo ibit inficias; res enim tum aphorismis Hippocraticis, cum clinicâ *Ph. Pinel* medicinâ evincitur. Hinc damnosissima eorum praxis, qui intricatâ et quasi monstrosâ remediorum farragine hanc febrem adoriuntur.

Quapropter, ineunte morbo, si ventriculus aut viscera abdominalia colluvie sordeant, cienda emesis aut emeto-catharsis. Quo facto, potus diluentes ad sextum usque accessum dandi sunt. Tunc verò temporis ad amara recurrendum, qualia sunt, infusum anthemis nobilis, centaurii minoris, etc.; quibus si resistat febris, cortice Peruviano profligari debet; hujus enim remedii virtus, ut aiunt, specifica. Neque tamen periculo immune dici debet; namque imperitâ manu datum ægros in ruinam præcipitat; quædam idcircò adhibendæ cautelæ.

1°. Major aut minor suprà dicti corticis copia ægro ingerenda pro ætate, sexu, corporis habitu.

2°. Per apyrexiam seu intermissionem administrari debet, quò faciliùs ante frigoris invasionem digeri possit; alioquin vomitu rejicitur, nullumque sortitur effectum. *Bartholin*, cent. 5, hist. 50.

3°. Cortex Peruvianus aquâ decoquitur, aut pulvis ejus vino excipitur, aut cum variis, pro re natâ, substantiis coagmentatur, nimirùm cum rosis, menthâ, saccharo aut melle conditis, ut ipsius amaror leniatur; cum opio, ut mitigetur ægri sensibilitas aut irritabilitas, nauseaque aut alvi fluxus reprimantur; cum nitro vel cremore tartari, si corpora sint robusta et athletica; cum muriate ammoniacali, si vires langueant, ut in tertianâ atonicâ.

4°. Vergente morbo, vel terminatis accessibus, si purgare opus est, cathartica ejusdem corticis decocto vel infuso excipi debent, ne primas vias debilitent.

5°. Denique ventris tormina, anxietas, sublucida ægri facies, cephalalgia ingens, hepatis aut lienis obstructio, dolor, tumor, laudatum remedium omninò prohibent.

Alimenta autem quibus æger, decurrente febre, utitur, lenia sunto, bonæ indolis, coctuque facilia; sævientibus accessibus abstinendum est; decrescente verò febre, cibo firmiori utendum quò citiùs restituatur sanitas.

SECUNDA SPECIES.

Tertiana aut duplex tertiana anomala, larvata.

Causæ. Latent. An ab individuo ægri habitu?

Symptomata. Hæc febris ophtalmiam, pleuritidem, catarrhum, asthma, vomitum continuum,

cephalalgiam periodicam, dolorem colicum, arthritidem aut hysteriam mentiri potest.

Hinc diagnosis perquàm difficilis.

Prognosis. Periculum variat pro variâ simulati morbi indole.

Curatio. Illutriss. Senac tussim convulsivam, horâ quintâ matutinâ quotidiè revertentem, singultus, itemque periodicum sanguinis fluxum Peruviano cortice feliciter debellavit.

Strack virum triginta sex annos natum, tertio quoque die asthmate vexatum, eodem remedio sanatum memorat.

Tandem *professor Pinel* periodicum nasi pallorem, atque frigus, nullo, si ardentem sitim exceperis, febrili symptomate stipatum, solo tiliæ et anthemis nobilis infuso depulit.

Genus III. *Febris gastrica intermittens, tertiana aut duplex-tertiana.*

Hujus febris accessus quolibet aut altero quoque die recurrunt, triplicique frigoris, caloris et sudoris stadio notantur; quibus absolutis sequitur apyrexia.

Exordium nunciant horror inter scapulas, tremorque major aut minor.

Hoc febrium genus periodicum vel anomalum; nunc varios simulat morbos; nunc unicam pluresve tum internas tum externas corporis partes simul afficit.

ORDO II. *Febris meningo-gastrica, seu biliosa.*

Causæ. Quæcumque regionem epigastricam, ventriculi duodenique tunicas, ductus cholopoieticos, pancreaticos, etc. immediatè vel mediatè irritandi vim habent.

Symptomata. Lassitudo; horror ingens; tremor; calor acris, mordax; nausea; vomitus amari; cardiæ præmorsus; cephalalgia supra-orbitalis; facies sufflava aut viridis.

Hæc autem febris continua, remittens aut intermittens, endemicè vel epidemicè grassatur.

TERTIUS ORDO.

Febris adeno-meningea seu pituitosa, mucosa.

Febris pituitosa continuæ, remittentis, quotidianæ et quartanæ typum seu formam sumere potest; inde quatuor genera.

PRIMUM GENUS.

Febris mucosa continua.

Hæc febris simplex est vel complicata.

SPECIES SIMPLEX.

Causæ. Corporis habitus lymphaticus; constitutio debilis; pueritia; senectus; sexus sequior;

aër calidus aut frigidus simulque humidus, ut in nosocomiis, navibus, castris, carceribus, etc.; cibus vappidus, glutinosus, concoctu difficilis; inopia; tristia animi pathemata, timor, mæstilia, terror.

Symptomata. 1°. Præludere solent lassitudo; horror aut frigus sine tremore, serò vel nocte exordiens; nausea, vomitus materiæ viscidæ, insipidæ.

2°. Per morbi decursum ferè obtinent calor die moderatus, nocte verò ingravescens, horroribusque intermixtus; membrorum contusio; sopor; morositas; aphtarum eruptio ad labia, gingivas, linguam, etc., inde oris interni ulcuscula; respiratio difficilis, stertens ob impactam laryngi vel asperæ arteriæ glutinosam materiem; dysuria; sudor acidus.

3°. *Phœnomena variabilia*: sitis major aut minor; cephalalgia; alvus nunc liquida, nunc resiccata; tenesmi, coli transversi tormina vel contrictio; tussis abdominalis, sicca, sævior aut mitior; quandòque dolor pectoris pungens, tusse exacerbatus; præcordiorum anxietas; dolor hypochondriorum; inquietudo; debilitas; animi defectio; lingua alba, flava, subobscuro glutine ad basim obsita; urina nunc flava, rubra, densa, limpida; nunc verò turbulenta, limosa, cum sedimento glutinoso, cinereo, albido, levi; aliquandò dysuria, tuncque mictus urinæ pallidæ, limpidæ; pulsus varius pro ægri habitu, symptomate, crisi; facies pallida, terrea, ex viridi flava.

Diagnosis. Ex suprà dictis, febrem pituitosam ab inflammatoriâ toto cælo differre, cuilibet vel minimùm attendenti patet.

Neque cum febre biliosâ confundi potest, si utriusque comparentur causæ, symptomata, etc., febris enim pituitosa, auctore *Maximil. Stoll*, mitior apparet; circulationem, calorem urinasque parùm mutat; biliosa verò, acrior et vehementior, omnes œconomiæ functiones insigniter lædit. Illinc sensuum torpor, stupor, sopor, subdelirium taciturnum, grunnitus; hinc cephalalgia vehemens, agitatio, delirium plerùmque furiosum.

Insuper febris biliosa miliari exanthemate, aphtisve nunquam stipatur, nisi calefaciente aut intempestivo remedio impugnetur.

Prognosis. Febris pituitosa in scirrhum aut ulcus internum abire potest. Nunc pulmones muceso glutine obstruuntur aut gangrænâ vitiantur; quibus in casibus de ægro conclamatum est.

Fausta verò crisis accidere potest, 1°. sudoribus manè vel nocte obortis, acida redolentibus, diebus 9, 11, 14, 17.

2°. Vomitu mucosæ materiæ naturâ vel arte motæ.

3°. Urinâ cujus sedimentum album, leve et lateritium crisim indicat; album verò, mucosum et cohærens morbum judicat diebus 7, 9, 11.

4°. Oris ulceribus, gingivarum tumore, aphtis, pustulis, scabie aut rubro exanthemate labia aut corporis superficiem deturpantibus.

5°. Denique ulceratis partibus quæ os sacrum aut trokanterem respiciunt.

Curatio. Ineunte morbo, cienda emesis, sive ad reficiendas ventriculi vires, sive ad debellandam nauseam aut vomituritionem quâ vexatur æger. Tartris idcircò potassæ nonnunquam feliciter adhibetur, cùm ægrorum corpora sunt athletica; sin minus, tutior est violæ ipecacuanhæ pulvis cujus duplex vulgò dos est, primas scilicet expediendi vias, totumque tractum intestinalem roborandi.

Hujus autem remedii administratio varia est. Nunc quidem solita dosis præscribitur, et quibusdam elapsis diebus iteratur; nunc verò tria quatuorve illius grana aromatico infuso excepta per dies aliquot propinantur.

Dantur etiam, ad egerendas intestinorum sordes, quædam rhabarbari contriti grana, mixto simul cum tartrite potassæ acidulo, aut muriate ammoniacali.

Wagler tribus aut quatuor resinæ jalappæ granis aquâ mulsâ exceptis aliquandò utebatur; nocturnæ verò agitationi duobus tribusve camphoræ granis cum saccharo coagmentatis ire solebat obviàm.

Provectiori morbo, ægros potu tonico et leviter laxante reficiebat, nimirùm aquâ menthæ, extracto corticis Peruviani, quibusdam tartritis aciduli potassæ granis, syrupo corticis aurantiorum, etc.

Tunc temporis *D. Pinel* potibus addere solet

quasdam alcoholis guttulas, vel infusa quædam aromatica et amara salviæ, menthæ, florum anthemis nobilis.

Vergente morbo, vires cibo validiori sustentandæ, quò citiùs ægri consanescant.

SECUNDA SPECIES.

Febris mucosa verminosa.

Causæ. Illa febris species iisdem ac mucosa simplex generatur causis, sed intensioribus, protractioribus ac epidemicè grassantibus.

Symptomata. Febri mucosæ accedunt varii affectus, quibus indicari solent vermes in intestinis nidulantes, videlicet convulsio; trismus; pupillæ amplificatio; dolor pedum crurumque acutus, lacerans; ficta pleuritis; quandòque etiam arthritis vehemens carpos genuaque vexans.

Diagnosis. Quamvis anomaliæ suprà descriptæ vermes indicare soleant, res tamen extricatu aliquandò difficillima. (*Dehaën ratio medendi.*)

Prognosis. Eò infaustior imminet exitus, quò graviora febris mucosæ symptomata, ventris animalcula quò sæviora.

Curatio. Remediis quibus debellatur febris mucosa, intermisceri debent anthelmintica.

SPECIES COMPLICATÆ.

Febris mucosa inflammatoria nondùm admitti debet à medicis rem accuratè sedulòque perpen-

dentibus; neque eos movebunt varia quæ à *Wagler* proferuntur exempla. Ea siquidem tantùm comprobare valent febrem mucosam cum pseudopleuritide aut catarrho pulmonali fuisse conjunctam.

D. Plenciz, Wagler, Stoll, mucosam febrem cum gastricâ complicatam memorant. Hinc enim, ab exordio, horror; tremor; mox pulsus durus et vehemens; vomitus materiæ flavæ, amaræ; tandem critici sudores morbum 19 die judicantes: illinc verò calor horroribus intermixtus; paroxysmi nocturni; dejectiones viscidæ, etc., utriusque febris unionem indigitant; pauciora tamen observata referuntur quàm quæ ad speciem constituendam sufficiant.

GENUS I. *Febris mucosa continua.*

Pulsus parùm frequens; calor die modicus, nocte acerbior; membrorum contusio; aphtarum eruptio; viscida insipidaque materies vomitu vel alvo rejecta.

SECUNDUM GENUS.

Febris mucosa remittens.

PRIMA SPECIES.

Remittens mucosa simplex.

Causæ. Vide ubi de mucosâ continuâ.

Symptomata. 1°. Quæ ad mucosam continuam pertinent: horrores vagi calore intermixti; fre-

quens abdominis dolor; dysuria; confracta membra; ptyalismus; lingua mucoso glutine obsita; aphtarum eruptio, materia insipida et viscida vomitu vel alvo rejecta, sudores acidi.

2°. Quæ remittenti propria; crescente et consistente morbo, completi frigoris et caloris accessus, regulares aut irregulares, vesperè recrudescentes, magnamque noctis partem occupantes; vergente verò febre, simplices caloris exacerbationes seu paroxysmi.

3°. Quæ variabilia; tempus scilicet quo febris exorditur; accessuum duratio; totius morbi prorogatio; major aut minor ad sudorem dispositio; nausea; anorexia; oris amarities; linguæ sordes; intestinorum colluvies.

Diagnosis. 1°. Mucosa remittens à mucosâ continuâ facilè distinguitur, ob accessus et paroxysmos suprà descriptos.

2°. Cum remittente biliosâ confundi nequit, si utriusque causæ et symptomata conferantur.

Prognosis. Febris mucosa remittens ad trigesimam, aut quadragesimam usque diem protrahitur; quo tempore alvi fluxu aut sudore judicatur.

Cæterùm eò faustior præsagiri potest exitus, quò firmior ægrorum ætas; corporis habitus, quò integrior; habitatio, quò salubrior; accessus aut paroxysmi, quò mitiores, etc.

Curatio. Febris mucosa remittens iisdem ac mucosa continua remediis debellatur.

Ineunte morbo, cienda emesis aut catharsis, si primæ viæ sordeant : crescente autem, diluentia et laxantia adhiberi debent : tandem vergente, reficiuntur ægri potu tonico, amaro, cibo levi, firmiori, coctuque facili.

SECUNDA SPECIES.

Febris hemitritæa seu semi-tertiana.

Causæ. Debilitas ab anterioribus morbis; autumni vicissitudines; calor diurnus nocturno frigore subitò exceptus; abusus aquæ gelidæ, mulsæ, cibi glutinosi; nimia catharsis; hæmorrhoïdum vel menstruorum suppressio; tristia animi pathemata.

Symptomata. Primâ die: antè meridiem, horror vehemens; pulsus depressus; mox calor intensus; pulsus fortis, celer; tandem mitescens, nec penitùs intermissa febris. Eâdem die, vespertinus horror; mox calor nocturnus, ardens.

Secundâ die : mitescit æstus qui vesperè post leves horrores recrudescere solet.

Tertiæ diei phænomena eadem sunt quæ primæ, quartæ quæ secundæ, et sic de cæteris.

Diagnosis. Febris hemitritæa ad remittentes meritò revocatur : continuo quidem tenore pergit ; sed quotidiè leves oriuntur accessus vespertini, et altero quoque die accessus meridiani vehementes, nauseâ et cardialgiâ stipati.

Prognosis eò infaustior, quò sæviores accessus

sive meridiani sive vespertini; ægri habitus, quò deterior; ætas, quò infirmior; victus, quò miserior.

Febris autem hemitritæa cum inflammatione membranæ mucosæ ventriculi aut intestinorum, cumque viscerum abdominalium aut thoracicorum phlegmasiis complicari potest. *Adrien Spigelius, de Febr. semi-tertianâ.* Hinc quoque varia prognosis.

Curatio. Medela jam exposita fuit, ubi de febre mucosâ remittente; varia tamen esse debet pro vario morbi complicantis genere.

GENUS II.

Continuus febris tenor; calor modicus; sopor; membrorum dolor, contusio; frigoris et caloris accessus quolibet vel altero quoque die revertentes.

TERTIUM GENUS.

Febris mucosa intermittens quotidiana.

PRIMA SPECIES.

Febris quotidiana vera seu exquisita.

Causæ. Pueritia; senectus; sexus sequior; corporis habitus lymphaticus; debilitas ab anterioribus morbis; autumnus; hyems; pluviosa tempestas; intemperantia; superpurgatio; vita sedentaria; nimius sanguinis fluxus; mœror ingens.

Symptomata. 1°. Nocturna vel matutina invasio; horror, frigus, raró tremor, à pedibus exordiens,

et per totum indè serpens corporis habitum; nausea; cardialgia; inflatio abdominis; nunc dolor capitis, nunc animi deliquium; vomitus aut alvi dejectio; pulsus lentus, debilis.

2°. Calor parùm intensus; lentè et difficulter invalescens, horroribus intermixtus; pulsus æqualior, frequentior, mollis; urina citrea; invincibilis ad somnum propensio; sitis moderata.

3°. Corporis mador quo clauditur accessus.

4°. Per apyrexiam, inertia, ægritudo.

Diagnosis. Exploratis causâ et symptomate, febrem quotidianam remittenti mucosæ affinem esse liquet.

Ipsius autem à duplici tertianâ distinctio meridianâ luce clarior. Illinc enim, ab exordio, horror inter scapulas; tremor vehemens; mox calor acris, mordicans; sitis incompescibilis; tandem sudor copiosissimus: hinc verò horror à pedibus incipiens, per totum inde corpus ascendens; tremor nullus; mox calor modicus horrore intermixtus; sitis tolerabilis; mador levis.

Prognosis. Cautus sit medicus in prænunciando quotidianæ febris exitu. Eam enim ad quadragesimam usque diem, imò ad quinquennium, atque, mirabile auditu! ad sexaginta usque annos, illæsâ tamen ægri sanitate, productam fuisse legitur. *Rhodius*, *Allen*, *Trnka*.

Curatio. Ex suprà dictis liquet quantula sit naturæ autocratia in curandâ febre quotidianâ; ergò

ad remedia confugiendum, nè ægri vitæ periculum adeant.

Celeberrimus autem *Hoffmannus* hanc febrem eâdem quâ mucosam remittentem methodo feliciter impugnavit; evacuantia scilicet cum tonicis intercalabat, aut simul administrabat.

Largiorem tamen crebioremque Peruviani corticis dosim dari volunt *Piquer*, *Strack*, *Thonman.*

Insuper habenda ratio ætatis, sexûs, corporis habitûs, vitæ generis et accidentis. Cùm enim languent ægri vires, atque vita detrimentum patitur, differri aut produci debet curatio, nedùm acceleretur. Ad eam tunc plurimùm et tutiùs faciunt omnia quæ saluberrima suppetit hygiene.

SECUNDA SPECIES.

Febris quotidiana spuria, erratica, seu anomala.

Hæc febris tot et tantas præbet anomalias, adeòque paucis et inaccuratis observationibus confirmatur, ut speciem adumbrari posse nondùm præsumat antecessor *Pinel.*

GENUS III.

Accessus quotidiani nocte aut manè revertentes; horror levis; calor modicus sed diuturnus; languor et inertia per apyrexiam.

QUARTUM GENUS.

Febris mucosa intermittens quartana.

PRIMA SPECIES.

Quartana simplex.

Causæ. Constitutio melancholica aut hypochondriaca; vita otiosa, sedentaria; autumni vicissitudines; miasmata paludibus emanantia; aër contagio inquinatus, ut in castris, carceribus; abusus fructuum horæorum, acidulorum; retropulsio vel delitescentia cutanei exanthematis; studia acerrima; mœror.

Symptomata. 1°. Frigoris invasio vespertina; tuncque summa debilitas; pandiculatio; capitis, dorsi, lumborumque dolor; extrema frigida; facies pallida, terrea; ungues lividi; horror cum tremore; involuntarius linguæ labiorumque motus; dypsnæa; præcordiorum anxietas; pulsus durus, depressus, aliquandò inæqualis; alvus suppressa aut liquida; senibus vomendi aut desidendi conatus; subdelirium.

2°. Calor sensim invalescens, minimè urens; cutis arida; pulsus major, æqualior, frequentior; dolor capitis obtusus; vertigines; tandem cutis mador.

3°. Unius duorumve dierum intermissio seu apyrexia; tunc autem membrorum contusio; care-

baria; nausea; anorexia; urina crassa et hypostatica; quandòque omnia ut sanis.

Diagnosis. Febris suprà descripta typo satis innotescit.

Prognosis. Quartanæ febres quàm diutissimè, ad biennium usque et ampliùs protrahi solent.

Æstivæ breves, autumnales longæ.

Rhumatismum, arthritidem, convulsionem, epilepsiam, aliosque morbos etiam pertinacissimos resolvunt *Hippocrates*, *Geoffroi*.

Juvenibus salubres, senibus infaustæ.

In iis hæmorrhagia narium, mala. *Hipp.*

Semel in vitæ curriculo vulgò obtinent.

Hydropem nunc generant, nunc verò discutiunt. *Pinel*.

Curatio. Febris quartana sexcentis, imò oppositis sanatur remediis; nunc quidem evacuantibus, missione sanguinis, purgantibus; nunc verò tonicis et roborantibus, cortice Peruviano, etc. *Hoffmann*.

Ea autem extitit *Celsiana* methodus, ut scilicet à consuetis potibus et cibis subitò conquiesceret, et ad oppositos recurreret, quò faciliùs motum febrilem interverteret.

Vergente morbo, post accessum, ægros vehementer perfricari, largum sumere cibum, vinum copiosiùs bibere, postridiè ambulare, exerceri præcipit.

Quo die febris expectatur, antè surgere et exerceri, dareque operam oportet, ut in ipsam exerci-

tationem tempus febris incurrat; sic enim sæpè illa discutitur.

In ejusmodi valetudine, medicamenta sunt oleum, frictio, exercitatio, cibus, vinum; si venter adstrictus sit, solvendus est.

Sed hæc validiores faciunt; sin imbecillos occupavit, pro exercitatione gestatio est, aut frictio, aut unctio.

Si febris quievit, diù vitare frigus, calorem et lassitudinem convenit; facilè enim revertitur, nisi à sano aliquandò timeatur.

Cauti verò sint medici ne citiùs ad corticem Peruvianum recurrant. Indè enim obstructio, icterus, hydrops, sæpè mors ineluctabilis.

Cùm quartana vetus est, vitæ genus mutare; à vino ad aquam, ab aquâ ad vinum, à lenibus cibis ad acres, ab acribus ad leves transire expedit: post hæc similiaque corpus agitandum est, ut moveatur ex eo statu quo detinetur. *Vide Celsum, de Febre quartanâ.*

SECUNDA SPECIES.

Febris quartana splanchnica.

Causæ. Morbus antecedens, acutus aut chronicus, cujus incerta curatio; menstruorum suppressio vel cessatio; nimius labor; pervigilia; miasmata; contagia; mœror.

Symptomata. Horror diù protractus; calor acris et molestissimus. Per intermissionem facies pallida,

tumida; corporis inflatio; macies; cutis è flavo fusca; dolor abdominis; quædam ventris loca tactûs etiam levissimi impatientia.

Hinc *diagnosis*.

Prognosis. Eò infaustior, quò major viscerum læsio.

Curatio. Febris illa vix medelam capit; de ægro ferè conclamatum; ergò saltem cautus sit artifex, ne incuriâ hunc videatur occidere quem sua sors interimit.

GENUS IV.

In accessione horror, cujus intensitas et duratio majores aut minores; calor; mador levis; membrorum contusio.

In apyrexiâ languor, aut sanitatis species.

Febris per unam duasve dies quiescit, adeò tamen ut accessus quarto quoque die sibi correspondeant.

ORDO III.

Causæ. Infirma constitutio; alimenta pravæ indolis; vita sedentaria; intemperantia; loca insalubria, paludosa; studia acerrima; tristia animi pathemata.

Hinc febres continuæ, remittentes, quotidianæ, quartanæ, endemicæ, epidemicæ, sporadicæ, quarum lenta progressio.

Symptomata parùm intensa; pulsus enim debilis, parùm frequens; horror sine tremore; calor modicus; intestinorum colluvies, quâ vomitus aut dejectio provocatur; diurnus sopor; nocturnæ exacerbationes; sudor acidus; aliquandò salivatio; sæpè læsio viscerum abdominalium.

Sectis defunctorum cadaveribus, introspicitur alteratio membranæ mucosæ, quâ fistula intestinalis obducitur; hinc de primigeniâ morbi sede conjectura.

QUARTUS ORDO.

Febris adynamica seu putrida.

Hic febrium ordo duo genera complectitur, adynamicam scilicet continuam, et adynamicam remittentem.

PRIMUM GENUS.

Febris adynamica continua.

Febris illa simplex est vel complicata.

PRIMA SPECIES.

Febris adynamica continua simplex.

Causæ. Constitutio debilis; infirma valetudo; loca humida, depressa; corporis illuvies; aër insalubris, miasmate contagiove inquinatus, ut in castris, navibus, nosocomiis, carceribus; defatigatio;

pervigilia ; studia acerrima ; veneris abusus ; timor ; mœror, etc.

Symptomata. 1°. *Prodroma :* aliàs nulla aut insidiosa, aliàs temulentia capitis ; anorexia ; nausea ; os amarum aut insipidum ; membra quasi contusa ; horror ferè continuus ; sudor nocturnus, nidorosus ; somnus inquietus, non reficiens ; carebaria frontalis ; lassitudo ; morositas.

2°. *Essentiala seu pathognomonica :* pulsus debilis, parùm frequens ; facies pallida, collapsa, ut aiunt, *Hippocratica ;* virium prostratio ; decubitus resupinus ; sensuum hebetudo ; excretiones involuntariæ.

3°. *Variabilia :* major minorve capitis dolor ; mentis alienatio ; subdelirium ; loquacitas ; grunnitus ; aphonia ; urina albida vel intensè rubra ; alvus fœtida ; rubræ aut lividæ cutis maculæ, pulicum aut lenticularum instar ; eruptio parotidum ; lingua spurca, fuliginosa, tremula, porrigi impotens ; sopor aut pervigilium ; respiratio tarda, debilis, fœtens, etc.

Diagnosis. Hæc febris solâ virium prostratione innotescit.

Prognosis. Animi deliquium, urinæ retentio, mala.

Diarrhæa colliquans, nigra, fœtida, præsertim inscio ægro, lethalis.

Macularum, petechiarum aut parotidum delitescentia, pessima.

Si nullum solatium diebus criticis, vel obortâ crisi, minimè tuta res est. *Fracastor, de Morb. contag.*

Aliquandò tamen febris alvi secessu, sudore, urinâ, exanthemate vel abscessu critico judicari potest. *Stoll, de Febre putr.*

Autopsia. Sectis defunctorum cadaveribus, intestina sæpè inflammata, suppurata aut gangrænâ vitiata inveniuntur; aliquandò calvaria pectorisque cava serum plus æquò continent.

Prophylaxis. Populi veteres, Hebræi, Ægyptii, Græci, Romani, etc. eò rariùs epidemicis morbis vexati fuêre, quò magis ad civilia officia instruebantur. Imitanda ergò publica eorum instituta de curandâ victûs et aëris salubritate, de munditie privatâ et publicâ.

Verùm efficaciùs nunquam febribus adynamicis occurritur, quàm si causæ vitentur, id est, si impediatur contagiorum generatio vel propagatio.

1°. Generatio impeditur *A.* Invigilando ne homines numero plurimi in eodem loco, carcere, nosocomio, navi, etc. coacerventur; insalubria enim quæ ex animatis corporibus emanare solent effluvia, non semel morborum fomitem mortisque causam extitisse memoratur.

B. Aërem purgando ventilabris, evaporatis acidis vegetalibus, aceto, etc. aut mineralibus, muriatico scilicet, nitroso, etc., juxtà experimenta quæ apud

nos tentavit præclarus *Guyton-de-Morveau*, et apud Anglos *Carmicaël Smith*.

2°. Propagatio impeditur; *A*. Si alimenta insalubria, degenerata aut putrescibilia interdicantur, admissis solùm acidulis et tonicis, quorum, ut aiunt, virtus antiseptica.

B. Si vestimenta infectorum aut mortuorum comburantur, laventur, etc.

C. Si ipsorum excreta, urina, fæces, procùl amoveantur, humo recondantur, vel in aquas præcipitentur.

Curatio. Quidam medici celeberrimi, *Huxham*, *Pringle*, *Sydenham*, sanguinis missionem, ineunte febre putridâ, institutam summoperè laudant; alii verò oppositam tuentur sententiam.

Notandum autem *Sydenhami* auctoritatem, cæteris quidem in casibus gravissimam, nullius in præsentiâ esse momenti; cùm enim febris pestilentialis Londinum vastaret, is fugam arripuit, sui conservandi gratiâ. Quamnam ergò fidem meretur venæ sectionem præscribens, ad profligandum morbum cujus testis oculatus non extitit?

Ex enumeratis porrò causis et symptomatibus manifestum est vires vitales febre putridâ labefactari; cùm igitur contraria contrariis curanda sint, ad tonica vel excitantia recurrere oportet; qualia sunt cortex Peruvianus, meracum, alcohol, camphora, vesicantia, quæ ad sustentandas, atque etiam erigendas naturæ vires plurimùm conferunt. *D. Pinel*

ejusmodi febres etiam sævissimas solo vini generosissimi usu feliciter debellatas fuisse auctor est.

Curandi tamen methodus varia esse debet, 1°. pro variâ morbi periodo. Ineunte siquidem febre, impura primarum viarum colluvies nauseâ, oris amarore, anxietate, cardialgiâ, etc. aliquandò manifestatur; tunc ergo cienda emesis; mox dari debent potus aciduli, diluentes, aqua scilicet hordacea, cui vini aut aceti pauxillùm additur, limoniorum vel aurantiorum succi aquâ diluti, solutio tartritis aciduli, potassæ, etc.

Morbo consistente, cùm intensa vigent symptomata, vires collabuntur, nigraque et fœtida alvo secedunt, ad excitantia, de quibus suprà, confugiendum est.

2.° Varii etiam accidentis habenda ratio. Nempè cùm delirat æger, vinum et cardiaca nocent; prosunt contrà, aëris renovatio, aspersio frigida ad caput, fomenta tepida ad crura, femora.

Si ægri sudore colliquescant, aër sedulò refrigerandus, dandaque frigida, mixto vino, aut acido sulfurico ad gratam usque aciditatem.

Immodicus alvi fluxus mucosis, absorbentibus, opio, ipecacuanhâ, rhabarbaro, pro re natâ, compescitur.

Parotides, vulgò periculosissimas, alii quidem suppuratas, alii verò resolutas volunt. Hafniennis medicus in simili casu parti tumidæ hirudines apposuit, mox vesicantia primùm brachiis, postridiè suris

admovit, partem affectam linimento volatili quâlibet horâ perfricuit, sicque ægros ad sanitatis vadum conduxit. *Select. diarii nosocom. Hafn.*

SPECIES COMPLICATÆ.

I. *Febris putrida inflammatoria.*

Maximilianus Stoll ejusmodi febrem admittit, *Ephemer. anni* 1778.

Symptomata. Febris continua aut obscurè remissa; stupor; pulsus debilis; calor ferè ut sanis, ægris tamen molestissimus; virium prostratio; lingua arida, contracta, fuliginosa, dura, quasi lignea, porrigi impotens; dentes, gingivæ, labia subobscuro fibrosoque glutine obducta; dolor, tensio, aut gravitas abdominis; urina decolor, cum sedimento mucoso; cutis arida et imperspirabilis.

Quæ febris species imprimìs mense augusto grassari solebat, quasdamque partes internas corporis, pulmones, pleuram, glandulas cervicales, etc. afficiebat.

Testatur etiam laudatus auctor, neque inficiatur præceptor noster *D. Pinel*, mulieres aliquandò corripi febribus, quæ primis quidem diebus inflammatoriæ apparent, sequentibus verò putridarum normam atque typum observant.

Denique febrem adynamicam non semel cum febre phlegmasiarum comite complicari nôrunt practici.

Verumtamen ex omnibus his observationibus inferri nequit utramque simul febrem, inflammatoriam scilicet ac putridam, seu, ut ait clariss. *Selle*, continentem inflammatoriam, aut putridam continentem frequenter extitisse. Quâ de re sagacem observatorum attentionem commendat auctor noster *Ph. Pinel.*

II. *Febris bilioso-putrida, seu gastro-adynamica.*

Causæ. Labor corpus deterens; defatigatio; bacchi et veneris abusus; nulla in victu temperantia.

Symptomata. 1°. Quæ ad febrem biliosam spectant; cardialgia; anxietas; anorexia; nausea; vomitus; os amarum; lingua flava; sitis ardens; facies ex viridi flava; cephalalgia suprà-orbitalis.

2°. Quæ ad putridam attinent; lassitudo spontanea; pulsus debilis; decubitus resupinus; sensuum hebetudo; virium prostratio; os fuliginosum; excretiones involuntariæ, fœtidæ.

Diagnosis ex utrâque symptomatum serie ritè exploratâ deducitur.

Febris autem gastrica ut plurimùm præludit; mox sequitur seu potiùs adjungitur febris adynamica, quæ quarto, quintove circiter, aliquandò etiam septimo vel octavo die exoritur, et more suo curriculum absolvit.

Prognosis eò infaustior quò causâ gravior, complicatior; utriusque febris symptomata quò pejora.

Si metastasis ad pulmones vergat, metuenda puris aut sanguinis expuitio, tabes, mors, aut tardus ad sanitatem reditus. *Bang, select. diarii nosocom. Hafni.*

Parotides plerùmque lethales.

Curatio. Febris gastrica, quæ pluribus vulgò diebus anticipare solet, emesi vel emeto-catharsi, mox potu diluente, Laxante, acidulo; putrida verò, quæ mox subsequitur, refocillante, cardiacâ, tonicâ et antisepticâ medelâ impugnari debet.

III. *Febris mucoso-putrida.*

Causæ. Aër insalubris; humida frigidaque tempestas; cibus depauperatus, vappidus; miasmata è putrefactis vegetabilibus aut animalibus emanantia; tristia animi pathemata.

Symptomata. 1°. *Ineunte morbo :* horrores vagi, vespertini, calore intermixti; cibi fastidium; debilitas; lassitudo spontanea; vacillatio; tædium; tristitia.

2°. *Crescente morbo :* quartâ circiter die; ægri decubitus; cephalalgia vehemens; sitis ardens; os amarum; nausea; vomitus materiæ mucosæ, parcâ bile permixtæ; major debilitas; membra quasi contusa.

Postridiè, sanguinis è naribus stillicidium aut alvi fluxus; undè fugax levaminis spes; mox capitis dolor; vertigines.

3°. *Consistente febre :* sextâ circiter die, sub-

delirium ; sudor copiosus ; somnus interruptus ; petechiæ ad brachia, cervicem, pectus ; vox querula, debilis ; virium prostratio.

Nonâ circiter die ; levis identidem frigoris sensus ; dentes fuligine obducti ; diarrhæa continuò crescens ; indè completa virium resolutio ; aliquandò manuum tremor.

4°. *Vergente morbo* : undecimâ circiter die, dejectionum suppressio vel imminutio ; surditas ; stupor ; dejectio mucosa ; vel tussicula, undè expectoratio ; crisis, ægrique ad sanitatem reditus.

Quandòque partes ad sacrum respicientes exulcerantur, mitioraque symptomata ad vigesimam usque diem perseverant ; tandem ægri perfectè recreantur.

Hinc *diagnosis*. 1°. Mucosam febrem declarant horror vagus, calore intermixtus ; lassitudo ; nausea ; vomitus materiæ mucosæ ; membrorum contusio ; quandòque aphtarum eruptio.

2°. Putridam indicant subdelirium ; petechiæ ; vox querula ; debilitas ; virium prostratio ; dentes fuliginosi ; facies callapsa.

Præclarus *Selle*, fretus auctoritate *D. Van-Denbosc*, febris adynamicæ cum solâ mucosâ verminosâ unionem admittit.

Neque diffitetur eruditus *Ph. Pinel*, qui omnes ferè morborum historias quaquaversùm dispersas perattentè scrutatus est, non diffitetur, inquam, observatam fuisse adynamicam febrem cum mucosâ

continuâ simplici complicatàm. Ipse enim, cùm rei elucidandæ tempus et operam impenderet, vermen ex ascaridum genere ab ægroto febre mucoso-putridâ correpto rejectum miratus est.

Clariss. etiam *Wagler* similem casum memorat, *Hist. nonâ, de morbo mucoso.*

Prognosis. Eò infaustior febris mucoso-putrida, quò acerbiora utriusque febris complicantis symptomata.

Curatio. Præludente morbo, si primæ viæ sordidâ colluvie inquinentur, vomitus necessarius est; mox, sæviente febre putridâ, ad tonica et antiseptica confugere oportet.

Si vermes in intestinis nidulentur, anthelminthicis profligantur.

Genus I. *Febris adynamica continua.*

Secundâ morbi periodo manifesta fiunt symptomata sequentia; pulsus debilis et depressus; stupor; subdelirium; virium prostratio; sensuum hebetudo; excretiones involuntariæ.

SECUNDUM GENUS.

Febris adynamica remittens.

Causæ. Ad hanc febrem suscipiendam imprimis disponunt debilitas ab anterioribus morbis chronicis, læsio viscerum abdominalium.

Symptomata. Febris continuo tenore pergit et

iisdem ac febris adynamica stipatur phænomenis. Verùm quolibet alterove quoque die observantur completi frigoris et caloris accessus, periodici vel abnormes, per magnum febris spatium perseverantes, atque vergente morbo, in simplices caloris exacerbationes abeuntes.

Inde *diagnosis*.

Prognosis eò infaustior quò sævior febris continua; accessus quò longiores; paroxysmi quò tardiores; virium prostratio quò major; morbi anteriores quò graviores; viscera abdominalia quò deteriora.

Curatio. Sustentandæ, erigendæ, vel exsuscitandæ vires analepticis, tonicis, cardiacis, vesicantibus.

Summoperè cavendum ne abdominalia viscera, si quid jam detrimenti ceperint, acriori vel intempestivo remedio pessundentur.

SPECIES COMPLICATÆ.

His in describendis speciebus non immorabimur, quandòquidèm accuratâ non constant observatione.

GENUS II. *Febris adynamica remittens*.

Generalia febris adynamicæ symptomata, nimirùm pulsus debilis, depressus; virium prostratio, etc.; insuper accessus frigoris et caloris, periodici vel abnormes.

Febris adynamica remittens, continuâ diuturnior.

Febris adynamica intermittens.

Cùm illa febris nondùm observatione satis innotuerit, ipsius proindè species exarari nequeunt.

ORDO IV. *Febris adynamica seu putrida.*

Causæ. Omnia quibus debilitandi vis inest, quæque nervosum influxum in circulationem, respirationem, secretiones, sensus et intellectum minuere vel impedire possunt; imprimìs contagia; miasmata.

Symptomata. Virium prostratio, cujus signa sunt impossibilis musculorum contractio; imminuta vel abolita sensibilitas; stupor; excretiones involuntariæ; subdelirium.

Hinc impossibilis morbi crisis aut solutio, cùm ad extremam debilitatem ventum est.

Febres hujus ordinis epidemicæ vel endemicæ, simplices vel complicatæ, continuæ et remittentes. An intermittentes?

ORDO QUINTUS.

Febris atacta seu maligna.

Hic ordo tria genera continet, nimirùm atactam continuam, atactam remittentem, et atactam intermittentem.

PRIMUM GENUS.

Febris atacta continua.

Hocce genus quatuor species complectitur, sporadicam scilicet, contagiosam, lentam nervosam et cerebralem.

PRIMA SPECIES.

Febris atacta continua sporadica.

Causæ. Præternaturalis et exquisita sensibilitas, aut irritabilitas; constitutio anterioribus morbis vel remediorum abusu debilitata; aër insalubris; loca humida et depressa; pervigilia; studia acerrima; veneris abusus; tristia, longa, altèque reposta animi pathemata; affectus hysterici, hypochondriaci.

Symptomata. 1°. *Ineunte morbo:* horripilatio cui levis succedit calor; pulsus debilis, abnormis; errantes oculi.

2°. *Crescente morbo:* inordinatæ exacerbationes; nunc agitatio, delirium; nunc verò quies, sopor; varia caloris distributio aut intensitas.

3°. *Consistente morbo:* tendinum subsultus; convulsio, rigor tetanicus; oculi suffuscati, fixi, fulgentes, rubei; auditûs visûsque adaucta vel imminuta acies.

4°. *Vergente morbo:* si variæ motilitatis, sensibilitatis et caloricitatis anomaliæ intermittant, spes redditurae sanitatis affulget; si autem perseverent,

aut ingravescant, accedentibus præsertìm singultu, dentium stridore, aphoniâ, sensuum oblitteratione, generali rigore, trismo, carphologiâ, deglutiendi impotentiâ, facie hippocraticâ, conclamatum est.

Diagnosis. Hanc febrem ab aliâ quâcumque secernunt variæ motilitatis, sensibilitatis et caloricitatis anomaliæ.

Prognosis eò infaustior quò major sensuum hebetudo; respiratio quò difficilior, anhelosior, frequentior, inordinatior; pulsus quò debilior; caloris distributio quò inæqualior; motus membrorum quò abnormior; animi facultatum vel affectuum quò perturbatio major; oculi quò tristiores, squalidiores, obscuriores.

Autopsia. Major minorve seri colluvies in ventriculis lateralibus aliisve encephali recessibus.

Curatio. Causæ excitantes totam adeò labefactarunt œconomiam, tantamve nervorum functionibus perturbationem intulerunt, ut morbus vix medelam capiat.

Commendantur quidem vesicantia, cucurbitulæ, sinapismi, potus alcoholici, aliaque stimulantia; verùm inde debilitas major atque vitæ discrimen exoritur.

Veteres et quidam inter recentiores ad theriacam, mithridatum, philoniumque confugiunt; sed famigerata hæc alexipharmaca ægros à morte nequaquàm eripere possunt; quæ insuper à medicis botanices chimiæque peritis veluti pharmaceutica

monstra nunc abhorrentur, et ab arte practicâ penitùs excluduntur.

Dolendum ergò quod therapeutice huic debellandæ febri sit impar. Utinam fortuna prosperior nostros in posterum maneat nepotes!

SECUNDA SPECIES.

Febris atacta continua, contagio producta.

Causæ. Debilitas corporis; effluvia quorum natura subtilis et prorsùs incognita, vestibus adhærentia; contagia in ædibus perangustis nimiùmque refertis, in carceribus, navibus, nosocomiis, contuberniisque innata.

Symptomata. Facies collapsa; intellectûs aberratio seu perturbatio; vertigines; consternatio; pulsus debilis, abnormis, frequentissimus; vox tremula; loquela difficilis, aphonia; oculi rubri, vitrei, demissi, tristes; surditas identidem; virium prostratio; tendinum subsultus; convulsio; respiratio difficilis, fœtens; aliquandò stupor, insensibilitas; anxietas extrema.

Diagnosis. Febris illa facilè innotescit, si ad causas efficientes, contagia scilicet et miasmata, necnon ad symptomata, præsertim oculos vitreos et rubros attendatur.

Prognosis eò infaustior quò major rationis aberratio; sensus quò hebetiores; respiratio quò difficilior; spiritus quò fœtidior; loquela quò inexplanatior.

Prophylaxis. Consulenda sunt quæ jam de putridis febribus avertendis recensuimus.

Docet autem observatio contagia ad minimam à fomite distantiam pervagari, infectorumque corporibus, vestimentis, et aliis objectis parùm remotis adhærere. *Letsom.*

Constat etiam corpora eò magis ad suscipiendum contagium disponi, quò debiliora. *Jakson.*

Hinc sequitur 1°. fugiendum esse infectorum contactum et accessum, itemque vitanda omnia quibus debilitandi vis inest.

2°. Summâ cum cautelâ captivos è carceribus ejiciendos esse; mutanda urendaque ipsorum vestimenta; corpora detergenda, mundanda. Cavendum imprimis ne janua iis aperiatur qui adhuc febre laborant.

3°. Medicos contagio minùs obnoxios fore, si, priusquàm ægros invisant, pulvere corticis Peruviani cum lacte infuso aut decocto, aquis alcoholicis, vino generoso, cibo tonico, balneoque utantur; si vestes non laneas sed lineas induant; denique, si hilarem et impavidum gerant in roborato corpore animum.

Curatio. Varia usurpanda medela pro vario corporis habitu, ætate, sexu, victu, aëris temperie.

Si ventriculus aut duodenum colluvie sordeant, cienda emesis; mox ad tonica confugiendum, qualia sunt infusa aut decocta amara, florum anthemidis

nobilis, serpentariæ Virginianæ, corticis Peruviani cui pauxillùm acidi sulfurici additur.

Sedanda sitis potibus acidulis, limoniorum succis; ægris, cum vini potatores sunt, dari debent aqua vino mixta, cerevisia, vinum helveolum.

Refocillandæ vires meraco sæpe repetito; renovandus aër, apertis januis et fenestris; removenda stragula, culcitræ, ne debilitetur æger aut sudore colliquante diffluat.

Juvant etiam sinapismi, rubefacientia, vesicantia, fomenta cum pannis laneis, frictiones siccæ, summa mundities.

Abstinendum ab animalibus, utendum vegetabilibus.

Hâc de re vide clariss. medicos *Pringle*, *Macbride*, *Letsom*, *Jakson*, *Pinel*.

TERTIA SPECIES.

Febris lenta nervosa.

Causæ. Constitutio debilis, infirma; corporis habitus anterioribus morbis debilitatus; crebræ aut immodicæ evacuationes; veneris abusus; vitæ genus effrenatum; menstruorum cessatio; chlorosis; hypochondria; melancholia; hysteria; nostalgia; aëris, locorum et alimentorum insalubritas; studia acerrima; pervigilia; tristia animi pathemata.

Symptomata. 1°. *Prœludente morbo :* languet æger; nullâ re commovetur; fit morosus, inquietus

sine causâ; pusillum gerit animum; sinistra ominatur; somno nequaquàm reficitur.

2°. *Ineunte morbo :* levis oritur horror, cui vagus succedit calor; cutis aret; deficit animus; genæ rubent identidem; pulsus est abnormis, debilis, nunc frequens, nunc lentus, nunc ferè ut sanis.

3°. *Crescente et vigente morbo :* vertigines; involuntarii fletus; taciturnitas; torpor; stupor; sopor; præcordiorum oppressio; respiratio lenta, suspiriosa; spasmodica pectoris constrictio; tetanicus membrorum rigor; convulsio; mens tamen sui compos, aut leviter insana; caloris anomaliæ; alvus liquida vel suppressa; facies nunc pallida, nunc colorata; exacerbatio levis, abnormis.

4°. *Vergente morbo :* oculi sulfuscantur, lippiunt, illacrymant; urina fit limpida; facies collabitur; vires prosternuntur; caput vertigine laborat, vel sopore gravatur; saliunt tendines; pulsus intermittit; extrema frigent; corpus gelido sudore perfunditur; tandem apoplexia vel inopinata mors tragædiam claudit.

Hinc *diagnosis*.

Prognosis infausta, sæpè lethalis.

Curatio. 1°. Si primæ viæ impurâ colluvie inquinentur, cienda emesis, nisi obstiterit ægri debilitas.

2°. Febris lenta nervosa quandòque angiothenicam ab exordio mentitur; quod mendacium eum profectò fallere nequit qui morbi causas attentâ lance perpenderit.

3°. Pectoris oppressio et constrictio, stimulantibus et tonicis levandæ.

4°. Si vires deficiant, meraco revocandæ sunt, additis identidem, pro re natâ, gelatinis animalibus aut vegetabilibus; carnium juribus; decoctis amaris, aromaticis; sero lactis vinoso; cortice Peruviano alcoholicis aquis excepto; frictionibus, lotionibus, fomentis ejusdem generis.

5°. Si ægri animum despondeant, hortatu, spe, consolatione erigendi et sustentandi sunt: terror imprimis amovendus.

6°. Hisce remediis accedant salubria hygienes auxilia; aëris scilicet renovatio, purgatio, refrigeratio; vestimentorum mutatio; stragulorum remotio; omnimoda mundities.

7°. Cum autem morbus ad summam periodum invaluit, vesicantia cervici, cruribus, femoribusque apponuntor, sensibilitatis excitandæ gratiâ; alternis vicibus præscribuntor cardiaca generosissima et antispasmodica, moschus, camphora, opium, castoreum, titulo boli, julepi, etc.

8°. Si sopore prægraventur ægri, iterantor epispastica; quæ remedia tamen periculo non liberant, cum jam ad encephalum fit humorum coïtus.

9°. Redeunte sanitate: dari debent alimenta jucunda, levia, coctuque facilia: potu imprimis tonico utendum ne rursùs collabatur æger.

Hâc autem de febre vide celeber. *Huxham*, *Stoll*, *Selle*.

QUARTA SPECIES.

Febris atacta cerebralis

Causæ. Constitutio plethorica; ætas adulta; vita iners et otiosa, post labores assiduos; status corporis torpidus, ad paralysim aut apoplexiam vergens; subita aëris vicissitudo; loca fervida; alimenta calefacientia; potus fermentati; studia acerrima; dementia; hypochondria; arthritis erratica.

Symptomata. Ab exordio quandòque sese manifestant signa gastricæ colluviei; cæterùm lentus, vagus et incertus morbi progressus.

Crescente morbo: cephalalgia parùm intensa; delirium; stupor; pulsus abnormis; respirationis, caloris et sensibilitatis anomaliæ; nunc quarumdam partium convulsio, tetanicusve rigor; nunc verò diversi nervorum affectus, cæcitas, surditas; aphonia; oculi stupidi vel extincti.

Vigente morbo: facies rubra, turgida, subobscura; abnormes caloris exacerbationes; signa congestionis encephalicæ.

Declinante morbo: coma carusve ægrum internecant.

Diagnosis. Suprà memoratæ sensibilitatis, motilitatis et caloricitatis anomaliæ, itemque signa quibus indicatur humorum coïtus ad cerebrum, morbi nomen et indolem declarant.

Prognosis eò pejor, quò causa gravior; virium

vitalium anomaliæ quò manifestiores; humorum collectio in encephalo quò evidentior.

Curatio. Febris atacta cerebralis sanatu difficillima; omnium enim œconomiæ functionum perturbatio, aliaque pessimæ notæ quibus stipari solet phœnomena, nervorum originem comprimi significant; hinc debilitas universalis et imminens vitæ discrimen.

Porrò, si ad humorum in cerebro collectionem viriumque prostrationem simul respiciatur, opposita remedia indicari videntur. Illinc scilicet derivantia quibus debilitandi vis inhæret, hinc verò roborantia quibus augetur homorum coïtus ad encephalum. Quodnam igitur tenendum iter?

Vel congestio futura solùm præsumitur; vel facta jam encephalum obruit.

Si *primum*, derivandum est; quamobrem epispastica, sinapismi, vesicantia pedibus et cruribus applicanda, sæpè renovanda, et ad partes diversas transferenda; inferiora aromaticis inungenda; refrigerantia raso capiti imponenda.

Quibus adjungi debent cardiaca et roborantia, vires refocillandi causâ; ægris præsertìm invigilandum circà septimam octavamve diem, quò tempore humores ad encephalum coeunt.

Si *secundum*, de ægro penè conclamatum est. Corpus tamen fricari convenit pannis cantharidum tincturâ imbutis, caputque obduci vesicatoriis ad absorbenda, vel derivanda quæ ad encephalum coe-

unt fluida. Hæc autem remedia, si inutilia, nociva saltem esse nequeunt.

SPECIES COMPLICATÆ.

I. *Febris atacta inflammatoria.*

Hæc febris observata fuit ab *Antonio Dehaën* in epidemiâ Vindobonensi.

Causæ. Vide quæ suprà de utrâque febre complicante recensita fuerunt.

Symptomata. Ab exordio motus febrilis vagus, plus minusve intensus, cùm vel sine anginâ, pleuritide, peripneumoniâ, phlegmasiâ abdominis; virium prostratio vel debilitas magnâ quâ tamen à negotiis non avertuntur ægri.

Tertiâ, quartâ, quintâve circiter die, petechiæ vel exanthemata miliaria, rubra, alba; mors propera.

Quandòque morbus ad duodecimam decimamve quartam usque diem pergit; tuncque placidum feroxve delirium, convulsio, mors.

Animi defectus major aut minor, stuporque integrum morbi stadium stipare solent.

Inde *diagnosis* atque *prognosis*.

Curatio. Aër sæpe renovandus, refrigerandus; cavendum imprimis ne stragularum pondere obruantur ægri; inde enim petechiæ, convulsio, etc.

Tonica felicissimo cum successu adhibita fuisse legitur apud laudatum *Dehaën*.

II. *Febris atacta biliosa.*

Hæc febris à clariss. *Finke* descripta fuit. *De morb. biliosis anom.*

Causæ. Constitutio debilis; hysteria; nulla in victu temperantia; missio sanguinis copiosior; superpurgatio, etc.

Symptomata. 1°. *Ineunte morbo*, cephalalgia vehemens; nunc frontem, nunc occipitium vexans; ægritudinis sensus ad epigastrum; nausea; quandòque vomitus; animi defectus; morositas; pavor; lacrymarum effusio; ad desperationem propensio.

2°. *Ingravescente morbo*, frigus vix sensibile, calore intermixtum; membrorum tremor; genuum vacillatio; facies pallida vel obscura; decubitus modò brevis, modò assiduus; sudor copiosissimus; somnolentia; terriculamenta; pulsus debilior quàm in febre biliosâ simplici; lingua primùm sordida mucosoque glutine obducta, mox flava, nigra; os amarum, nauseosum; urina pallida vel turbulenta; quandòque spasmodica extremorum contractio; diarrhæa ab exordio molesta; mox abnormis alvi secessus.

Diagnosis. Cardialgia, nausea, vomitus, os amarum, lingua flava, mucosa, et cephalalgia biliosam febrem indicant.

Caloris verò anomaliæ, animi defectus, vacillatio, somnolentia, terriculamenta, pavor, morositas ad febrem atactam pertinent.

Prognosis. Symptomata nunc mitia sunt, nunc verò intensissima; hinc ad sanitatem reditus vel mors inopinata.

Curatio. Utraque febris complicans debellanda est; biliosa scilicet emesi aut catharsi, diluentibus, abstinentiâ; atacta verò tonicis et antispasmodicis.

III. *Febris atacta mucosa.*

Hæc febris exarata fuit à clariss. *Rhœderer*, *Wagler*, *Stoll*.

Causæ. Vide quæ de utràque febre simplici.

Symptomata. Febris ab exordio levis; pulsus fortis aut depressus; horror vagus; lingua glutinosa, vel arida, rubra, albida, quasi adusta; os amarum aut insipidum; sitis nulla; rhumatici membrorum dolores; ardor in pectore, epigastro, abdomine; ischias; lumborum dolor acutus; stupor; subdelirium; aurium tinnitus; surditas; carebaria; tussis vespertina aut nocturna; expectoratio varia; diarrhæa, etc.

Diagnosis. Horrores vagi, lingua glutinosa, albida, os insipidum, rhumatici dolores, ad mucosam febrem attinent.

Stupor autem, subdelirium, aurium tinnitus, surditas, anomaliæ respirationis, ataxiam indicant.

Febris mucosæ phœnomena prævalent; hinc pituitosæ vel lymphaticæ nomen huic febri à celeber. *Stoll* inditum.

Prognosis. Hæc febris vulgò longissima: quan-

dòque in diarrhæam molestissimam aut lethalem vergit.

Curatio. Ineunte morbo, emesis aut catharsis, pro re natâ, cienda; crescente, diluentia; consistente, tonica, cardiaca etiam validissima simulque antispasmodica adhibenda sunt.

IV. *Febris atàcta putrida, carceraria.*

Hæc febris à celeber. *Pringle, Jakson, Letsom* descripta fuit; eandem *Phil. Pinel* observavit in carceribus vulgò *de Bicêtre.*

Causæ. Jam expositæ sunt, ubi de quâlibet febre complicante.

Symptomata. 1°. Ab insultu, caloris et frigoris vicissitudines; manuum tremor; quandòque brachiorum stupor; nocturna caloris exacerbatio.

2°. *Crescente morbo*, symptomatum exacerbatio; dolor ad epigastrum, dorsum; ingens animi defectus; pulsus debilissimus; aliquandò alterutrius vel utriusque manûs insensibilitas, corporis habitus cadaverosus; urina varia; aliàs constipatio, aliàs dejectio involuntaria, colliquans, ichorosa, sanguinolenta; facies pallida, deformata, collapsa; delirium taciturnum; tendinum subsultus; oculi rubri, minaces; phrenitis vehemens; petechiarum eruptio.

Diagnosis facillima: pulsus enim depressus, animi defectus, dejectio involuntaria, faciei pallor et collapsus, petechiæque febrem putridam significant.

Delirium verò, tendinum subsultus, oculi rubri, minaces, phrenitis, etc. ataxiam indicant.

Prognosis, infausta, sæpè lethalis.

Ægri tamen, sed rarissimi, ad sanitatem aliquandò redeunt. Quibus in casibus febris decimâ quartâ aut vigesimâ primâ die solvitur. *Pinel.*

Curatio. Præcipua contra febrem atactam putridam remedia ex antispasmodicis, tonicis et excitantibus depromenda sunt.

GENUS I. *Febris atacta continua.*

Affectus nervosi; spasmi; convulsio; pulsus abnormis; varia caloris distributio; sensuum et intellectûs anomaliæ, seu auctæ, imminutæ læsæve eorum functiones.

SECUNDUM GENUS.

Febris atacta remittens seu perniciosa.

SPECIES PRIMA.

Febris atacta remittens tertiana, aut duplex tertiana (tritæophia).

Plurima hujus febris exempla memorantur in libris *Hippocraticis*, in scriptis clariss. *Morton*, *Torti*, *Worloff*, *Senac*, *Lauter*.

Causæ. Aër insalubris, miasmatibus aut contagiis inquinatus; nulla in victu temperantia; bacchi abusus; venus immodica; mœror reconditus, aliave tristia animi pathemata.

Symptomata. 1°. Febris continua, pulsus frequens, anorexia, cephalalgia, etc.

2°. Completi frigoris et caloris accessus, periodici vel abnormes; gravissimi nervorum affectus, nimirùm sopor, cardialgia, cholera-morbus, syncope, algor, aphonia, peripneumonia, pleuritis, delirium, vomitus, tenesmus, etc.

Diagnosis. Accessus quolibet vel altero quoque die revertentes, febris typum, symptomata verò nervosa illius malignitatem indigitant.

Prognosis, infaustissima.

Autopsia. Secta defunctorum cadavera varias ostendunt encephali læsiones; nunc scilicet laterales sinus, aliave cerebri latibula sero plena; nunc meninges inflammatas, opacas, crassas, concretâque materiâ obductas; nunc injecta vasa cerebralia; nunc denique encephalum solito densius: inde nervorum compressio, œconomiæ tumultus, motilitatis anomaliæ, cæteraque phœnomena quibus atactæ febres stipari solent.

Curatio. Innumeris hodie practicorum suffragiis celebratur cinchona seu cortex Peruvianus, cujus præcipua in debellandis febribus perniciosis potestas multiplici experimento confirmata fuit.

Duplex autem à celeb. *Mutis* distinguitur cinchonæ species, alia quidem *lancifolia*, alia verò *oblongifolia*: quarum prior ad curandas febres atactas perniciosas excellentior, posterior verò, ut

pote astringentior, adversus febres adynamicas continuas aut remittentes efficacior habetur.

Quædam autem hìc non abs re erit notare præcepta quæ de hujus remedii usu traduntur.

1°. In substantiâ, ut aiunt, dari debet, formâ pulveris vino infusi et diluti, quæ ceteris præparationibus melior est.

2°. Debita ejus quantitas diù ante accessionem ægro ingerenda.

3°. In febribus remittentibus, tempore remissionis, quam proximè à paroxysmo desinente, in subintrantibus, declinante accessu, administranda.

4°. Hujus remedii dragmæ sex, unicave uncia, debellando febris atactæ remittentis accessui sufficiunt.

5°. Maxima dosis, semi-uncia scilicet, tempore ab accessione remotissimo danda est, mox quod reliquum est dosibus gradatìm decrescentibus sorbendum.

Neque ab hoc remedio medicum deterreant, quædam pessimæ notæ symptomata, nimirùm linguæ ariditas, sitis ardens, continua agitatio, urina rubra vel crassa, calor mordicans, manus et lingua tremulæ, tendinum subsultus. *Torti*, *Lauter*.

Cùm febris atacta remittens tertianæ typum servat, commodior et facilior remedii administratio, ob majus remissionis intervallum.

SECUNDA SPECIES.

Febris atacta remittens quartana (tetartophia).

Hujus febris exempla referuntur à clariss. *Bianchi*, *Marcello Donato*, *Schenkio*, *Horstio*, *Pison*, *Lauter*, etc.

Causæ. Eædem quæ speciei præcedentis.

Symptomata. Febris continua cui superveniunt quarto quoque die frigoris et caloris accessus simul et anomaliæ nervosæ; anxietas; sitis ardens; tussis sicca; calor urens, erraticus; virium prostratio; pulsus frequens, debilis; respiratio celer, difficilis; cardialgia; sudor, etc.

Inde *diagnosis.*

Prognosis. Viscera abdominalia sæpè morbo chronico laborant; inde pessima mali labes.

Autopsia adhuc desideratur; inaccurata ergò et quasi manca remanebit hujus morbi descriptio, usquedùm nova proferantur exempla, defunctorumque sectiones phœnomenis observatis comparatæ rem elucidaverint.

Curatio. Ex suprà dictis liquet corticem Peruvianum summâ cum cautelâ adhibendum esse, ne læsa viscera in pejus ruant.

GENUS II. *Febris atacta remittens.*

Febris continua; accessus frigoris et caloris, periodici vel abnormes, nervosis symptomatibus stipati.

TERTIUM GENUS.

Febris atacta intermittens (perniciosa).

De hoc febrium genere olim illustriss. *Salius*, *Mercatus*, *Heredia*, *Morton*, etc., recentioribus adhuc temporibus, celeber. *Torti*, *Werloff*, *Senac*, *Clegornh*, *Medicus*, etc., accuratam sermonem fecerunt.

Digna est etiam quæ legatur dissertatio inauguralis quam de febribus perniciosis eleganter scripsit et nuper recusit *D. Alibert.*

SPECIES PRIMA.

Febris atacta intermittens tertiana, duplexve tertiana.

Causæ. Loca insalubria, depressa, paludosa; aër contagio vel miasmate inquinatus; aqua putris, stagnans; vegetabilia aut animalia quæ facilè ad putredinem vergunt, aëremque loca et aquas pestilentiali tabe inficiunt.

Symptomata. Febris intermittit; sed absolutâ apyrexiâ, quolibet vel altero quoque die redeunt frigoris et caloris accessus periodici, vehementibusque symptomatibus stipati, nimirùm cholerâ-morbo, fluxu dysenterico, cardialgiâ, sudoribus colliquantibus, delirio, quandoque etiam larvati, nephralgiam, epilepsiam, convulsionem, asthma spasmodicum et hydrophobiam simulantes.

Diagnosis. Accessus quolibet vel altero quoque die recurrentes febris typum, nervosa autem symptomata hujus indolem manifestant.

Prognosis eò infaustior quò sæviores accessus, symptomata quò pejora.

Curatio. Hæc febris cortice Peruviano debellanda : cujus dosis, pro re natâ, major aut minor esse debet.

1°. In locis ubi febres atactæ intermittentes sævissimè grassari solent, unica duæve laudati remedii unciæ dandæ sunt, crebròque repetendæ ne morbus recidivus fiat.

2°. In febre duplici tertianâ duo sunt accessus quorum periculosior alter, alter verò mitior; ille præsertim impugnandus est.

3°. Cùm, prostratis jam viribus, pulsuque fermè extincto, æger cadaveris formam exhibet, cortici Peruviano addenda sunt cardiaca, et stimulantia.

4°. Si febris sit algidâ, corpus alcoholicis inungendum; si lethargica, odores penetrantissimi olfaciendi; si ægri cardialgiâ aut convulsione vexentur, opium dandum; si caput vehementer doleat, ipsive humorum coitus immineat, aquâ gelidâ abluendum.

5°. Cùm febris est cholerica et præcipuum, de quo suprà, remedium vomitu rejicitur, id cum opio miscendum est; hanc viam tenuit professor *Barthez*, cùm mors jam in limine adesset, ægrumque sanitati restituit.

SPECIES SECUNDA.

Febris atacta intermittens quartana.

Quidam auctores de febre quartanâ catalepticâ, epilepticâ, soporosâ, etc., sermonem faciunt. Cujus etiam speciei exemplum doctor *Ferrarius*, mutinensis, torti communicavit.

Verumtamen pauciora et inaccuratiora adhuc extant observata quam quæ proprium hujus speciei characterem constituant, eamque à quartanâ vulgari distinguant.

GENUS III. *Febris atacta intermittens (perniciosa).*

Apyrexia cui succedunt frigoris et caloris accessus, nervosis symptomatibus stipati, acutumve morbum aut phlegmasiam mentientes.

QUINTUS ORDO. *Febris atacta.*

Causæ physicæ vel morales, externæ vel internæ; aëris insalubritas; contagia; miasmata; intemperantia; animi pathemata.

Symptomata. Variæ læsiones seu anomaliæ sensibilitatis, motilitatis et caloricitatis: hinc adaucta vel imminuta sensuum acies; convulsio, tendinum subsultus, carphologia; inæqualis aut varia caloris distributio.

Autopsia. Sectis defunctorum cadaveribus, varia cerebri latibula sanguine aut lymphâ repleta,

ipsiusque vasa cruore turgida inveniuntur. Undè nervorum compressio et phænomena quæ ex interturbato eorum influxu pendent.

Typus. Febris atacta continua, remittens aut intermittens; endemica, epidemica, sporadica.

Veteres medici, inter quos divus *Hippocrates*, atactam continuam accuratè delinearunt, non assignatâ curandi methodo.

Recentiores describendæ atactæ remittenti et intermittenti operam impenderunt, præcipuumque contrà eas remedium assignarunt.

ORDO SEXTUS.

Febris adeno-nervosa seu pestilentialis.

Hic febrium ordo unicum genus includit, cujus species simplices aut complicatæ.

SPECIES SIMPLEX.

Febris adeno-nervosa continua, pestis orientalis.

Commendatissimi et ferè innumeri auctores sive historici, sive medici de peste scripserunt; nimirùm *Thucydides*, *S. Cyprianus*, *Evagrius*, *Nicephoras*, *Zonaras*, *Fallopius*, *Forestus*, *de Mertens*, aliique complures quorum nomina in Nosographiâ philosophicâ legi possunt.

Causæ prædisponentes. Corporis habitus physico influxu, moralive affectu debilitatus, ut apud

eos observatur qui baccho aut veneri nimiùm indulgent, pervigilant, labore franguntur, curis exeduntur, ipsiusque pestis terrore incutiuntur.

Causæ efficientes. Miasmata vel contagia, quorum natura subtilis perspicacissimam tum physicorum tum chimicorum fugit indaginem; quorum tamen sequentes noscuntur proprietates; 1°. ex infectorum corporibus emanant; 2°. ipsorum vestimentis adhærent; 3°. filo, pilo, telæ, lanæque facilè communicantur; 4°. immersione in acetum, crebro fumigio, diuturnoque aëris contactu obtunduntur aut dissipantur.

Symptomata. 1° *gradu* : febricula; delirium nullum; bubones; omnium ferè ægrotantium sanatio.

2° *gradu* : febris; delirium; bubones; febris et delirii circà diem quintam imminutio, circà septimam cessatio.

3° *gradu* : febris; delirium vehemens; bubones; anthraces aut petechiæ discretæ vel confluentes; morbi remissio vel mors tertio, quarto, sextove die superveniens.

Cæterùm è peste correptis sanantur pauci; quippe qui iisdem sed intensioribus vexantur symptomatibus quam quæ in atactis febribus observari solent.

Diagnosis è causâ, symptomate, regione, etc. deducitur.

Prognosis sinistra, lethalis.

Prophylaxis : impedienda contagiorum generatio aut propagatio.

Ad *primum* faciunt aëris renovatio, purgatio; victus salubris; imprimis acidorum usus; vestimentorum mutatio, mundities; substantiæ cujuslibet animalis aut vegetabilis sepultura, si putrescat.

Ad *secundum*, vitandus infectorum tactus et accessus; objecta tabe infecta aceto immergenda, suffimento aromatico, aërique exponenda; peste vexati à sanis sequestrandi; metus et pavor amovendi et excutiendi; morbi periculum multitudini occultandum, sed publico regimini revelandum, ut omnem simul cùm medicis cautelam adhibeant, tetram labem repellendi vel emendandi causâ.

Curatio. Justà D. *Mackensium* eadem adhibenda medela quæ in febre putridâ vel malignâ. Quamobrem commendari debent tonica et excitantia; cinchona, meracum, camphora, demum vesicantia, si stupor et somnolentia urgeant.

D. *Samoilowitz* infectorum corpora glacie vel aquâ gelidâ felici cùm successu inunxit.

Celebris apud Germanos medicus oleosas unctiones, sive ut prophylacticas, sive ut curativas plurimùm prodesse expertus est.

De Mertens diaphoretica laudavit, potus scilicet tepidos et acidulos, infusa theiformia cùm succis citreis, aceto, etc. emulsiones camphoratas, zulapia

ejusmodi cùm aceto, moscho, aliisve substantiis antispasmodicis.

Bubones critici faustique habendi, præsertim si malum levent aut interrumpant.

Anthraces eò infaustiores quò numero plures et latiores; eâdem autem curandi methodo quâ pustula maligna impugnandi sunt.

Petechiæ, aliave adynamiæ symptomata, tonicis debellanda, cortice Peruviano, acidis mineralibus, meraco, etc.

SPECIES COMPLICATÆ.

Pestis orientalis ab exordio febrem inflammatoriam mentiri, vel cùm gastricâ colluvie, febre biliosâ, aut putrida complicari potest.

GENUS. *Febris adeno-nervosa continua (pestis).*

Causæ. Contactus infectorum vel objectorum ipsis inservientium.

Symptomata. Bubones, anthraces, petechiæ subobscuræ, lividæ, quibus accedunt febrium atactarum phænomena, cùm pestis vehementem sævitiem exercet.

De febre adeno-nervosâ remittente aut intermittente.

Febris adeno-nervosa remittens nondùm observatione constat.

Doctor *Bertrand*, cùm pestis Massiliam vastaret,

se febrem intermittentem observasse memorat sequentibus stipatam phænomenis : accessus scilicet eâdem quotidiè horâ revertebantur : ab exordio extrema leviter horrebant ; mox elapsis quatuor aut quinque horis, gravissima symptomata sæviebant, calor vehemens, etc. ; tandem secundus tertiusve accessus ægros enecabat.

An febris illa ad intermittentes atactas, an ad pestem referenda ? adhuc sub judice lis est.

ORDO VII. *Febris adeno-nervosa.*

Causæ. Effluvia quorum natura adeò subtilis ut sensibus capi nequeat, et quorum effectus solùm patent.

Symptomata. Febris vulgò continua, numquam remittens ; an intermittens ? nunc sudoribus criticis, nunc bubonibus faustis, nunc verò bubonibus, carbunculis, petechiis, nervosis que phænomenis stipata ; epidemica ; velociter pervagata ; terrorem quâquaversùm procùl spargens ; plerùmque lethalis ; hinc iracundæ divinæ flagellum habita.

CLASSIS I. *Febres.*

Causæ prædisponentes. Varius corporis habitus, sexus, ætas, loca, vitæ genus.

Causæ efficientes. Abusus rerum omnium quæ hygienes materiam et objectum constituunt.

Symptomata. Horror atque calor, quorum varia intensitas, complicatio, duratio, successio, mox alia itemque varia phænomena pro læsis organis vel organorum systematibus.

Porrò vascula, digestionis organa, membranæ mucosæ fistulam intestinalem investientes, musculi, nervique affici aut lædi possunt.

Indè mutatio, læsio, vel anomaliæ circulationis digestionis, somni, secretionum, excretionum, energiæ muscularis, sensuum et intellectûs.

Febres autem continuæ, remittentes aut intermittentes; epidemicæ, endemicæ vel sporadicæ, simplices aut complicatæ.

Diagnosis. Febres ab aliâ quâcumque morborum classe distinctas esse cuilibet vel minimè attendenti patet.

Prognosis. Febres continuæ intrà primam, secundam, tertiamve hebdomadem absolvuntur; longiores remittentes; intermittentes longissimæ.

Nunc autem salubri naturæ molimine judicantur; nunc arte sanantur; nunc ægros enecant.

Curatio. Aliàs sufficit expectationis via, semotis interim quæ nocere possent et adhibitis hygienes auxiliis; aliàs ad efficacia remedia confugiendum; aliàs omnia tentantur incassùm.

SECUNDA MORBORUM CLASSIS.

PHLEGMASIÆ.

Phlegmasiarum seu *inflammationum* classis à *Nosographiæ philosophicæ* auctore in quinque distribuitur ordines, quorum primus *phlegmasias cutaneas*, secundus *phlegmasias telæ cellulosæ et glandularum*, tertius *phlegmasias membranarum serosarum*, quartus *phlegmasias articulorum et musculorum*, quintus *phlegmasias membranarum mucosarum* complectitur.

PRIMUS ORDO.

Phlegmasiae cutaneae.

Hic ordo quinque genera continet, *pustulam* scilicet *malignam*, *erysipelas*, *variolas*, *morbillos* et *scarlatinam*.

Pustula maligna.

Duplex hujus exanthematis varietas, alia quæ contagio producitur, alia verò quæ sponte generatur.

PRIMA VARIETAS. *Pustula maligna contagiosa.*

Causæ. Contagia immediato vel mediato contactu, insitione, respiratione aut deglutitione suscepta.

Symptomata. 1ª *periodo* : pruritus molestus, vesicula sero plena.

2ª *periodo* : tuberculum durum, renitens, mobile, circùmscriptum, lenticulare; cutis citrea, livida; pruritus molestior; sensus ardoris, erosionis, ustionis; areola pallida, rubra, livida, flava, versicolor; phlyctenæ primò discretæ, mox confluentes rufuloque sero plenæ.

3ª *periodo* : morbus telam cellulosam penetrat, tuberculi centrum gangrænâ corripitur, obscurâque aut nigrâ crustâ obducitur; pars affecta tumet admodùm, renititur, stupet, quasi stringitur.

4ª *periodo* : nunc quidem gangræna quiescit et ad suppurationem vergit, nunc verò morbus ultrà progreditur, universamque corporis substantiam vitiat; indè febris generalis; jactatio; animi deliquium; cardialgia; anxietas; respiratio brevis, intermittens; sudor colliquans; odor fætidissimus; mors miserrima.

Diagnosis. Causæ et symptomata morbi indolem indicant.

Prognosis. Pustula eò malignior quò latiùs progreditur, altiùs quò penetrat.

Gangrænam desinere et ad suppurationem debitæ indolis vergere, bonum.

Atacta febris pustulæ superveniens, pessima, lethalis.

Prophylaxis. Vitanda contagia. Monendi ergo coriarii, laniones, villici, veterinarii, etc., ne anima-

lia carbunculo affecta imprudenter attrectent, ipsorumve carnes comedant, etc.

Si quis autem boves aliave animalia domestica suspecto morbo laborantia, aut demortua tetigerit, manus statim aquâ saponaceâ, aceto, aut alkalino lixivio abluat, ne vitæ discrimen adeat.

Curatio. Venenum jam definito loco affixum circumscribitor, ne gangræna ad vicinas partes proserpens universam solidorum et liquidorum molem inficiat.

Quamobrem pars labe inquinata scarificanda, mox adurenda.

Scarificationes autem neque leviores neque profundiores sunto; partes vitâ defunctæ, solæ dividendæ; ad vivas usque si penetratum fuerit, metus est ne malum propagetur.

Caustica verò contagii virus coercent, sive id adurant, sive naturæ molimen ad partem affectam appellent, ut subactum hostem foràs expellat. Ad hunc scopum faciunt acida mineralia, sulfuricum, muriaticum, solutio nitratis argentei, murias antimonii liquidus.

Quibus ità præmissis, erigendæ vires, cienda suppuratio.

Cùm ad quartam usque periodum invaluit morbus, pars profundiùs incidenda, eique imponenda tonica, camphorata, aquæ aromaticæ, alcoholicæ, etc.

Eadem intùs ingerenda remedia quæ in febribus

atacto-adynamicis seu malignis aut pestilentialibus; cardiaca, etc.

SECUNDA VARIETAS. *Pustula maligna spontanea.*

Causæ omninò latent.

Symptomata. Tumor cutis elasticus, celeriter increscens, cujus in centro durities levis, orbica, supereminente pustulâ lenticulari; gangræna superveniens, non mutato cutis colore; partis affectæ neque rubor, neque dolor; simultanea tractûs intestinalis affectio; febris; angor; sudor frigidus; tandem suppuratio critica, vel mors.

Diagnosis. Hanc pustulæ varietatem non contagiosam sed epidemicam memorant.

Prognosis infausta.

Curatio incerta. Pars quidem affecta excidi, sanguinisque missio institui solet; verùm quid hæc contrà morbì naturam? mirum autem effectum præstant valida purgantia quibus suppurationem bonæ indolis moveri, morbumque feliciter solvi refertur.

SPECIES COMPLICATÆ.

Utraque pustulæ malignæ varietas ab exordio cùm febre adynamicâ aut atactâ complicari potest.

GENUS. *Pustula maligna.*

Tuberculum durum, renitens, cui supereminet pustula livida vel subnigra; quodque rubra areola

vel tumor renitens et incolor, aliquandò œdema circumdant.

Erysipelas.

PRIMA SPECIES.

Erysipelas simplex.

Causæ. Vita sedentaria; insolatio; calefacientia; menstruorum cessatio; solitæ hæmorragiæ suppressio; vehementia animi pathemata.

Symptomata. 1°. *Ab exordio*, lassitudo spontanea; horror fugax; nausea, pulsus durus, frequens; calor acris.

2°. *Crescente morbo*, secundâ, tertiâve die, erysipelas in facie vel in membris manifestatur; ibique cutis tumor, pruritus, dolor, rubor, calor ad quartam circiter usque diem crescunt, quin imò ad alias migrant partes; mox ad sextam, septimamve usque diem consistere videntur; tunc temporis cuticula in vesiculas sero plenas, plus minusve dissitas erumpit.

3°. *Vergente morbo*, tensio, dolor, atque rubor imminuuntur; serum concrescit; cuticula in squammas abit nonâ, decimâve die circiter.

Inde diagnosis. Morbus ille quandòque periodicè, quolibet anno, elapsis quibusdam mensibus, in utroque æquinoctio revertitur. *Lorri de Morb. cutan.*

Prognosis. Erysipelas simplex, rarò infaustum.

Intrà septem, octo, decem, ad summum quatuordecim dies judicatur. Hoc autem introverti, malum.

Curatio. Diluentia intùs ingerenda; aqua scilicet hordeacea, melle aut acidulo syrupo condita, oxycratum, aqua vino mixta, etc., fructus horæi, aciduli, mala, pyra, aurantia.

Si primæ viæ colluvie sordeant, emesis aut catharsis cieri debent.

Topica pinguia, humida, refrigerantia, astringentia proscribuntor; simila polentave tantùm parti affectæ superimponitor.

SECUNDA SPECIES.

Zona, zoster, seu erysipelas pustulosum.

Causæ, ut suprà.

Symptomata. Tumor levis, subruber, cujus varia latitudo, pectus, dorsum, aliquamve regionem abdominis cingens; pustulæ confertissimæ, albidæ vel subobscuræ, majores aut minores; calor; dolor urens; tensio partis affectæ.

Quæ symptomata, cùm ad summum usque progressa sunt, sensim decrescunt; cuticula desquammatur; pustulæ siccantur; morbusque vigesimo circiter die solvitur.

Hinc *diagnosis.*

Prognosis raró infausta.

Curatio. Polypharmaca nocent. Si morbus simplex, solis naturæ viribus evincitur; si primæ viæ,

saburâ obstruantur, ad emesim aut emeto-catharsim confugito.

Dari debent, ob morbi longitudinem, mitemque febris indolem, cibi leves, vegetabilia, oryza, simila, olera, mala decocta vel cruda.

Topica procùl amovenda; mollia solùm imponi debent lintea quæ partes ab affrictu tueantur.

SPECIES COMPLICATÆ.

Erysipelas complicari potest 1°. cum febre inflammatoriâ; indè pulsus frequens, durus, fortis, calor ardens, etc.

2°. Cùm febre gastricâ; hinc pulsus frequens; nausea; os amarum; lingua flava; paroxysmi periodici, vehementes, etc.

3°. Cum febre adynamicâ; hinc viriùm prostratio; facies collapsa; linguæ dentiumque fuligo; spiritus fœtidus; pulsus debilis, etc.

4°. Cum febre atactâ; hinc anomaliæ nervosæ; læsiones caloricitatis, motilitatis, et sensibilitatis; deliriùm, etc.

Indè variæ *diagnosis*, *prognosis*, curandique methodus.

GENUS. *Erysipelas.*

Tumor levis, inæqualiter circumscriptus, superficiarius, cum vel sine pustulis; color roseus, appressu evanescens; calor acris, urens; febris antecedens vel concomitans; cutis desquammatio.

Variolae.

PRIMA SPECIES.

Variolæ discretæ.

Causæ. Contagium immediatè vel mediatè, contactu, vel insitione susceptum.

Symptomata A. *Variolarum naturalium.*

1ª *periodo*. Elapsis sex septemve diebus à suscepto contagio, febris exoritur cum cephalalgiâ, membrorum dorsique dolore, sudore, animi defectu, convulsionibus vel motibus epilepticis.

2ª *periodo*. Post triduum quatriduumve, quiescente vel mitescente febre, manifestari solent primò in facie, mox in trunco et membris papulæ, pulicum instar, rubræ, ab invicem dissitæ, quæ sensìm in tubercula, mox in pustulas roseâ areolâ circumcinctas mutantur.

3ª *periodo*. Octavâ circiter die, pustulæ albescunt, flavent, fuscantur, albo et opaco sero replentur; tunc febris recrudescit.

4ª *periodo*. Pustulæ crepant, pus effunditur; crustulæ labuntur; cuticula desquamatur.

B. *Variolarum quæ insitione communicantur.*

1°. *Localia:* tertiâ circiter labente die exiguum oritur tuberculum in loco insitionis.

Quartâ die, pars affecta prurit; vesicula pellucida microscopio percipitur.

Quintâ die, crescit tuberculum, cujus acumen albescit et deprimitur, rubente ambitu; alia simul erumpunt tubercula; dolent glandulæ axillares.

Septimâ die, pustulæ summitas fit albida, rotunda, opaca; areola progreditur; crescunt pustulæ ambientes.

Insequentibus diebus, areola sensìm minuitur et evanescit, pus effluit, concrescit, cunctæque in unicam coeunt crustulæ.

2°. *Generalia*; septimâ ab insitione die, febris exoritur.

Decimâ vel undecimâ die, febris quiescit aut mitescit, erumpentibus punctis rubris quæ ut in variolis naturalibus progrediuntur.

C. *Veræ vaccinæ*; tertiâ circiter labente die, tuberculum rubrum et roseum in loco cicatriculæ.

Quintâ sextâve die, vesicula limpido humore plena, tenuis, rubra, cujus mucronata summitas, basisque lata et incolor.

Quintâ circiter die, depressum pustulæ centrum; supereminentes atque lati margines instar circuli tomento farti; color partis ruber.

Septimâ die, pallentes margines; areola rubra, circumscripta, variæ latitudinis.

Octavâ, nonâ, decimâve die, crescunt symptomata localia; febris exoritur cum oscitatione, pandiculatione; facies calet et dolet alternis vicibus; pulsus acceleratur.

Undecimâ die, pustula, si aperiatur, limpidi humoris effundit gultulam cui altera brevi succedit.

Duodecimâ, decimâ tertiâ, aut decimâ quartâ die, pustulæ resiccantur.

A decimâ quintâ die ad vigesimam tertiam, crustulæ induratio, nigredo.

A vigesimâ quartâ ad vigesimam septimam, crustulæ lapsus, profunda cicatrix.

SECUNDA SPECIES.

Variolæ confluentes.

Causæ. Contagium immediato vel mediato contactu susceptum.

Symptomata. Ab exordio, anxietas; vomituritio; cardialgia; alvi fluxus; nulla ad sudorem dispositio; horripilatio; mox calor continuus.

Tertiâ die: erumpunt papulæ rubræ, densissimæ, vigentibus, imò crescentibus phænomenis antecedentibus; truncus atque membra acutissimis doloribus vexantur; pustulæ celeriter crescunt; quæ pallidæ, compressæ, parùm proeminentes, confertissimæ, latæ, confluentes; facies, ut in erysipelate, tumet; adulti salivant; pueri citâ exercentur alvo.

Octavâ circiter die: vesiculæ crepant; pus effluit, concrescit; inde crustulæ subnigræ quæ vigesimâ aut vigesimâ quintâ circiter die labuntur.

Diagnosis. Utraque variolarum species non innotescere non potest, si attentè explorentur pustularum forma, numerus, densitas, coïtio, color, etc.

Hinc variolæ verrucosæ, siliquosæ, plumbeæ, nigræ, ichorosæ, crystallinæ, sanguineæ, petechiales, miliares, erysipelatosæ.

Prognosis. Varius est variolarum exitus pro variâ ætate, vario corporis habitu, etc.

Infaustæ esse possunt, 1°. pueris exquisitâ sensibilitate et mobilitate præditis, imprimis dentientibus, gulosis et strumosis.

2°. Adultis densam firmamque cutem habentibus, baccho et veneri indulgentibus, parùm robustis, acuto chronicove morbo debilitatis.

3°. Mulieribus mortem vel deformitatem metuentibus, gravidis, puerperis.

Præthereà aëris vicissitudines, cùm secretiones et perspirationem interrumpant, pustularum eruptioni obstare morbumque augere solent.

Denique variolæ pravâ medelâ exacerbantur vel degenerant; inde macies, phthisis, visûs debilitas, cæcitas, surditas, ophtalmia immedicabilis, faciei deformitas.

Curatio. Variolæ benignæ et simplices solis naturæ viribus sanantur. Medicus ergò expectantis vices gerat, dato solùm victu tenui, diluente coctuque facili.

Si symptomata exacerbentur, missione sanguinis,

potibus acidulis, aëris renovatione et refrigeratione mitiganda sunt.

SPECIES COMPLICATÆ.

Variolæ cum febribus essentialibus complicari possunt; hinc varia diagnosis, prognosis atque curandi methodus.

Variolæ autem confluentes imprimis cum febre adynamicâ octavâ circiter die complicantur. Quo in casu ad tonica et stimulantia confugiendum est, qualia sunt cortex Peruvianus, vinum meracum, vesicantia ad suras, etc.

Dolendum est quod aliquandò tam tetræ sint variolæ ut vix medelam capiant. (*Eichel Epistol. de Variolis*).

GENUS.

Morbus contagiosus mediatè vel immediatè, contactu vel insitione communicatus; affectus generalis aut localis; primò febris, mox tubercula; tandem pustulæ sphericæ in centro depressæ, quorum margines proeminent; cutis desquamatio.

Morbilli.

Causæ. Ætas tenera, impuber; æquinoctium vernum; contagium epidemicum.

Symptomata. Ab exordio inquies; horror, frigus et calor alternis vicibus; febris continua; tristitia; anorexia; lingua albida, humida; coryza, ster-

nutatio; tussis molesta, sicca; in adultis cephalalgia; carebaria in pueris; sopor; oculi rubri, illacrymantes; palpebræ tumidæ.

Quartâ circiter die, superstite febre, apparent rubræ maculæ, pulicum morsibus similes, cuticulam vix superantes, in facie, cervice, thorace, abdomine, femoribus.

Sextâ septimâve die maculæ fuscantur; frons fit aspera, furfurosa.

Tandem octavâ nonâve die, squamæ labuntur, ægrique convalescunt.

Diagnosis ex ægri ætate, epidemiâ regnante, macularum colore, formâ, densitate, itemque prægressis et comitantibus symptomatibus derivatur.

Prognosis eò faustior quò tardior eruptio; eò infaustior quò rubicundior macularum color; eò lethalior quò lividior, nigrior.

Morbilli simplices intra octo novemve dies sanantur. Quædam verò symptomata, tussis, dyspnoea, etc. diutiùs protrahi solent; quandòque etiam in maciem, phthisim, anasarcam, ophthalmiam aut diarrhoeam chronicam et pertinacem mutantur.

Curatio. Morbilli simplices salubri naturæ molimine ferè sanantur; procùl igitur sunto pharmaca artificiosè confecta. Sufficiunt potus emolliens, diluens, tepidus, acido nitrove aspersus, vapor aquæ calidæ, aër tepidus et humidus, quies animi et corporis, victus tenuis, leniter reficiens.

SPECIES COMPLICATÆ.

Morbilli cum febribus essentialibus, aliisve phlegmasiis, imprimis cum peripneumoniâ complicari possunt.

Hinc varia phænomena, prognosis atque curandi ratio.

1°. Si cum morbillis adsit colluvies gastrica, aut febris biliosa, ægri nauseâ, oris amarore vexantur; facies flavet aut viridescit; caput dolet; cardia præmordetur, etc.

Prognosis raró infausta.

Curatio. Cienda emesis aut emeto-catharsis; danda diluentia.

Morbus primâ aut secundâ hebdomade absolvitur.

2°. In morbillis cum febre adynamicâ, prosternuntur vires, etc.

Hinc metuenda delitescentia cui occurritur aut medetur vino, camphorâ, epispasticis, vesicantibus, etc. munditie.

3°. In morbillis cum ataxiâ, læduntur intellectûs functiones; labia livescunt; spiritus ægrè trahitur; abdomen murmurat.

Tam tetra mali complicatio tepido pediluvio, vesicantibus, epispasticis debellanda est; humores derivandi, ne ad encephalum coeant. Ægro propinandum scorsoneræ decoctum, acido fortiter aspersum, subjungendique potus ætherei, camphorati.

4°. Si morbilli cum peripneumoniâ complicentur, inflammationis intensitas eruptioni obstare potest; inde infausta prognosis, nisi tempestiva sanguinis missio periculum avertat. *Sydenh. Epid. anni* 1674.

5°. In cæteris morbi complicationibus, præcipui symptomatis semper habenda ratio, nimirum diarrhoeæ, tussis, hæmorrhagiæ, ophthalmiæ pertinacis.

GENUS.

Morbus generalis, contagiosus; maculæ rubræ pulicum morsibus similes, augulosis intervallis distinctæ; antecedente et comitante febre, epiphorâ, tussi, coryzâ; subsequente cutis desquamatione.

Scarlatina.

PRIMA SPECIES. *Scarlatina simplex.*

Causæ. Quælibet ætas; imprimis tamen juventus et pubertas contagio obnoxiæ sunt.

Symptomata. Ab exordio, ægritudo generalis; horror; calor; pulsus frequens; sæpe faucium rubor et ardor; deglutitio difficilis; expuitio.

Tertiâ circiter die : desinente gutturali affectu, sed progrediente febre, apparent in facie, cervice, thorace, brachiis, abdomine, femoribus, maculæ leviter coccineæ, cuticulæ vix supereminentes, sæpe prurientes, coeuntes, sub premente manu evanescentes, sublatâ pressione rursùs apparentes, sensim in colore procedentes; mox minus floridæ;

tandem septimâ, octavâ nonâve die in desquamationem abeuntes.

Diagnosis. Color cutis coccineus, febris continua, gutturalis affectus, morbi incubatio, eruptio, et cutis desquamatio propriam illius indolem indigitant.

Prognosis raró infausta.

Curatio. Diluentia danda sunt.

SPECIES COMPLICATÆ.

Scarlatina cùm febribus essentialibus complicari potest; indè varia prognosis.

Si cum adynamicâ vel atactâ febre complicetur, metuenda eruptionis delitescentia, faucium gangræna; quibus ut occurratur aut medeatur, ad tonica, antispasmodica, collutoria antiseptica confugiendum est.

GENUS.

Eruptio generalis, epidemica, contagiosa, coccinea, antecedente per triduum circiter, mox comitante febrili motu, itemque tonsillarum tumore et rubore, deglutiendi difficultate, faucium dolore et ardore, tandem subsequente cuticulæ desquamatione.

ORDO I. *Plegmasiæ cutaneæ.*

Quædam hujus ordinis phlegmasiæ epidemicæ et contagiosæ, mediato vel immediato contactu aut insitione communicantur.

In externo vasorum capillarium reticulo, cutisve areolis sedere videntur.

Tuberculorum, pustularum, macularum, tumorumve rubrorum formam suscipere solent.

Integram cutis superficiem quasdamve solùm ipsius partes afficiunt.

Siccatione aut desquamatione terminantur.

Modò pluriès, modò semel in vitâ obtinent.

Nunc oculorum, narium, faucium, nunc verò tonsillarum, pharyngis, asperæque arteriæ phlegmasiæ simul existunt.

Cùm eruptio generalis est, primò in facie, mox in cervice, thorace, abdomine membrisque apparet; hanc vulgò præcedit quandòque etiam concomitatur febris.

ORDO SECUNDUS.

Phlegmasiae telae cellulosae et glandularum secretioni inservientium.

Hic phlegmasiarum ordo quatuor genera complectitur, nimirùm *phlegmonen externam* vel *internam*, *hepatitidem*, *nephritidem*, et *peripneumoniam*.

Phlegmone externa vel interna.

SPECIES SIMPLEX.

Causæ. Compressio; vincula; vulnera; contusio; fractura; virus quodcumque; acria corpori applicata.

Symptomata. 1ª *periodo :* partis affectæ rubor, calor, dolor, tumor, tensio.

2ª *periodo :* symptomatum exacerbatio ; tumefactio maxima ; dolor lancinans ; febris generalis, pulsus celer, fortis ; sitis molesta ; anxietas.

3ª *periodo :* simptomatum mitigatio ; sanitatis reditus ; cutis ut plurimùm desquamatio.

Diagnosis. Phlegmone ab erysipelate distinguitur : hinc enim dolor acris, urens ; color roseus aut ex rubro flavus, appressu evanescens ; tumor inæqualiter circumscriptus : illinc verò dolor lancinans, pulsans ; color ruberrimus, appressu non fugiens ; tumor vulgò circumscriptus, mucronatus.

Prognosis. Varius observatur hujusce morbi exitus, pro variâ ætate, tempestate, varioque corporis habitu.

Phlegmone autem terminari potest 1°. resolutione quartâ sextâve die circiter. Faustissimum hunc exitum indicant symptomatum remissio, cessatio ; cutis desquamatio.

2°. Suppuratione, quam præsagiunt resolutionis absentia, et perseverantia symptomatum ; quam verò factam prænunciant dolor gravativus, mucronatus tumoris apex, cutis tenuitas, et albedo, fluctuatio, puris effluxus ; hinc funestus exitus, quoties abscessus rumpitur intra calvariam, thoracem, aut abdomen.

3°. Gangrænâ, cujus futuræ signa sunt maxima tum causæ tum symptomatum intensitas, ægri

debilitas, virus complicans; at verò præsentis hæc: subita inflammationis cessatio; partis affectæ hebetudo; color fuscus, lividus, niger; tumoris mollities, flacciditas; pustulæ seroso, sufflavo vel rubello ichore plenæ; pulsus debilis, frequens; virium prostratio.

4°. Inflammatione chronicâ, ulcere, scirrho aut induratione.

Curatio. Phlegmone simplex et mitissima solis naturæ viribus sanatur.

Cùm calore, siti, etc. vexantur ægri, dandi potus aciduli, diluentes; topica emollientia, resolutiva, maturantia, detersiva, pro re natâ, superimponenda.

SPECIES COMPLICATÆ.

Phlegmone cum febribus essentialibus cæterisque phlegmasiis complicari potest: indè varia symptomata, prognosis et curandi methodus.

1°. Phlegmone febre angiothenicâ stipata, sanguinis missione, diætâ, potuque acidulo et diluente feliciter debellatur.

2°. Cùm adest colluvies gastrica aut intestinalis, ad emesim vel emeto-catharsim recurrendum est.

3°. Gangrænâ aut adynamiâ supervenientibus, malum; tunc autem tonica et antiseptica summoperè prosunt, nisi phlegmone sit interna.

4°. Phlegmone symptomatica esse potest; tunc curandus morbus essentialis aut principalis.

5°. Quæcumque ad ciendam suppurationem, ad pertundendos, abstergendos et cicatricandos abscessus, hæc ad chirurgiam pertinent.

GENUS.

Tres phlegmones periodi : dolor tensivus, mox pulsans, tandem gravativus; resolutio, suppuratio, gangræna.

Hepatitis.

Causæ. Habitatio in regione fervidâ; aëris vicissitudines; defatigatio; concretiones vesiculæ felleæ; hæmorrhoïdum menstruorumve suppressio; vita otiosa; corporis habitus melancholicus; violenta animi pathemata; vis illata jecori; percussio; commotio totius corporis; lapsus in pedes, genua, clunes; capitis vulnera; calvariæ fractura; cursus velocissimus; iter longum per regionem aridam, sub ardente sirio; immersio in aquam frigidam; abusus alcoholis, drasticorum, emeticorum; præmaturus peruviani corticis usus ad debellandas febres intermittentes; retropulsio exanthematum; metastasis arthritica, etc.

Symptomata, 1°. *Localia :* si pars jecoris concava inflammetur, dolor hypochondrii dextri; nausea; sitis ardens; lingua è flavo viridis.

B. Si pars convexa, dolor hypochondrii; dyspnœa; tussis; decubitus in latus affectum impossibilis.

C. Si visceris parenchyma, dolor obtusus, gravativus; aliquandò icterus.

2°. *Generalia.* Tensio epigastri et hypochondrii, dolor qui ad latus dextrum, jugulum, humerumque partis ejusdem progreditur; cutis arida; alvus resiccata vel alba dejectio; paroxysmi vehementes sub vespere recrudescentes.

Diagnosis. Hepatitis cum pleuritide, peripneumoniâ, gastritide, pylori scirrho, ab incautis confundi potest; ergò morbi causa, sedes, symptomata, etc. ritè exploranda sunt.

Prognosis. 1°. Morbus terminari potest resolutione quam prænunciant causæ leves et mitia symptomata.

2°. Coctione et excretione, quæ indicantur alvi fluxu bilioso, parùm cruento, ante diem quartam; urinâ multâ, acri, rubrâ, crassâ, cum sedimento subalbo, diu continuatâ, ante idem tempus; hæmorrhagiâ largâ è nare dextrâ, sudoribus ex omni parte bonis.

3°. Suppuratione cujus futuræ signa sunt prægressa inflammatio; resolutionis aut excretionis absentia; remissio doloris; pulsatio; horror vagus; duratio inflammationis non pessimæ ultra certum tempus; factæ verò hæc sunt: hypochondrii œdema; sensus ponderis; debilitas ingens; febricula hectica; sitis magna.

Apostema autem semel factum varios exitus affectare potest.

A. Vel enim totum depascitur jecur; unde tabes hepatica quæ ægrum perimit.

B. Vel pus, rupto abscessu, in cava abdominis effusum cuncta viscera corrumpit.

C. Vel per vasa bilifera in intestinum duodenum labitur, indèque sursùm exit vomitu fœtido, purulento, ichoroso, albo, flavo, cineritio, fusco, nigro; aut infrà secernitur alvi dejectione simili, titulo fluxûs colliquantis, brevi lethalis.

D. Vel aperto septo transverso, in thoracem, bronchiave effunditur; unde phthisis pessima.

E. Vel denique tumor hepaticus peritonæo accrescit, atque abscessum externum generat, ibi apparentem; tunc autem, rupto vel pertuso abscessu, si pus album, æquale, leve, inodorum, et specilla non colorans exeat, salus speranda est; si verò prodat ichor flavus, fuscus, lividus, niger, fœtidus, saniosus, amurcosus, et specillum colore iridis inficiens, mors in limine adest.

4°. Hepatitis in gangrænam desinit, si causæ inflammationis sint vehementissimæ, et febris intensa simul urgeat; quod futurum prædicit subita virium resolutio; quod verò factum docet vomitus aut secessus saniei, ichoris, bilis, fecis amurcosæ, nigræ, fœtidissimæ, cadaverosæ; singultus magnus, perpetuus; febris intentissima; sitis inextinguibilis; pallor subitus.

5°. Num scirrhus acutæ vel chronicæ inflamma-

tionis, an verò contusionis, spontaneæve corruptionis sequela?

Curatio. Ineunte morbo, ars diluere et emollire debet potu, epithemate et clysmate.

Si intensa vigeant symptomata in robustissimo et athletico corpore, sanguis mittendus est.

Cùm apparent coctionis et excretionis signa, eò ducendum quò natura vergit; ars quippe huic favere debet excretioni quam natura molitur.

Factâ suppuratione, morbus vix medelam capit, nisi apostema extrorsùm emineat; tunc autem aperiendum, mundandum et ad cicatricem usque perducendum: verùm hæc ad chirurgiam.

Si gangræna jecur depascitur, de ægro conclamatum est. *Vide Aphor. de cognos. et curand. morbis ab Herm. Boerhaave.*

SPECIES COMPLICATÆ.

Hepatitis cum febribus essentialibus, cæteris phlegmasiis, hæmorragiisque suppressis complicari potest: indè varia symptomata, prognosis, et curandi methodus.

GENUS.

Dolor acutus vel obtusus, plus minusve profundus, hypochondrium dextrum vexans, tensio; febris per paroxysmos recrudescens; dolor ejusdem lateris, scapuli, humeri.

Nephritis.

PRIMA SPECIES.

Nephritis simplex.

Causæ. Vita otiosa, iners; bacchi abusus; equitatio vehemens; gestatio in rhedâ per vias asperas; nixus validus; diuretica acria.

Symptomata. Sensus gravitatis in regione lumborum; dolor ardens, pungens, urens, profundus, alterutrius vel utriusque renis; dolor inguinis; retractio testis, ejusdem lateris; stupor femoris crurisque vicini; febris acuta, continua; urina primò rubra, flammea, mox parca aut multa, tandem sedimentosa; frequens et irritum mingendi desiderium; nausea frequens, vomitus; agrypnia, agitatio, etc.

Diagnosis. Morbi cognitio è causâ, symptomate et sede derivatur.

Prognosis. Mitia symptomata, ipsorumque imminutio post quartam quintamve diem, resolutionem prænunciant.

Urina crassa, ruffa, copiosa, continuo fluore reddita ante diem septimam aut ad summum decimam quartam, bona.

Hæmorrhoïdes initio morbi largè fluentes, optimæ.

Si nephritis ultra diem septimam excurrat, metuendus abscessus; quem fieri docent doloris remissio, pulsatio, horror sæpè recurrens, lumborum gravitas, stupor; quem verò factum indicant in-

flammatio quæ præcessit, pulsus, ardor, tensio lumborum, urina purulenta, fœtida.

Suppuratio autem diu durans totum exedit renem, undè tabes renalis.

Tandem vehementia symptomatum, subita doloris remissio, sudor frigidus, pulsus debilis, intermittens, singultus, urina vel nulla, vel livida, nigra, foetens cum caruncülis fuscis, nigris, subitus virium defectus, renis gangrænam significant.

Curatio. Cùm morbus levis est, potus subaromatici, nitrati, melle saccharoque conditi, clysmata emollientia plerumque sufficiunt

Cùm verò renes acutissimo dolore et ardore vexantur, missio sanguinis instituenda est; saphena pertundenda, hirudines ad podicem apponendæ, præsertim si æger à temperatâ vitâ deflexit, aut ad hæmorrhoïdalem fluxum disponitur. Intereà juvant potus emulsivi, et antispasmodici, ad mitigandam inflammationis sævitiem.

Cùm ren suppurat, commendantur lactaria, lactis serum cum infusis hypperico, veronicâ, scabiosâ, quæ morborum quidem mitigant, sed curare nequeunt.

Gangræna visceris uropoietici immedicabilis.

SECUNDA SPECIES.

Nephritis calculosa.

Causæ. Vita otiosa; origo à parentibus nephriticis calculove laborantibus; bacchi abusus; hæmor-

rhagiæ solitæ suppressio; gestatio, equitatio, succussio vehemens.

Symptomata. Dolor acutissimus lumbos subitò invadens; tussis; stranguria; urodynia: quæ symptomata per intervalla quidem remittunt, mox verò recrudescunt, tuncque nauseâ, vomitu dirisque doloribus conflictantur ægri.

Si calculus in renes labatur, convelluntur ventriculus, diaphragma, musculi abdominales.

Si calculus major quàm qui expelli queat, præsertim si asper et echinatus fuerit, dolor excruciat, constringit, comprimit, perterebrat; urina redditur mucosa, viscida, cruenta.

Morbus autem ad summum provectus, in chronicum mutari potest; hinc renum suppuratio, erosio, febris hectica, mors.

Diagnosis et *prognosis* ex dictis sequuntur.

Prophylaxis. Ut lithogenesi occurratur, abstinendum potibus fermentatis; aquâ utendum; parcè ac moderatè vivendum.

Curatio. Potus mucosi et emollientes, balnea tepida, clysmata, missio sanguinis morbum levare queunt.

Nullum verò memoratur perfectæ curationis exemplum. Desideratur adhuc, et indagatur remedium, ut aiunt, lithontripticum quo scilicet calculus renibus aut ureteribus adhærens dissolvi queat: neque tamen in desperatis ac perditis negotium penitus habendum est, siquidem recentes

chimici qui nunquam rerum elementa scrutari desinunt, quorumque ea mens esse videtur, ut nihil sub sole novum relinquant, calculos ex urico, lithicove acido conflatos esse docent. Quamobrem substantias salinas quasdam, ut lithontripticas, proponunt, videlicet carbonatem calcarium, vel acetitem potassæ, quos, nisi ad penitùs dissolvendos, saltem ad imminuendos calculos, plurimùm conferre existimant. Tentari quidem possunt hæc remedia, cùm nihil indè possit emergere periculi, imò etiam quædam utilitatis spes affulgeat. Veruntamen, cùm supradicti sales ad renes priùs non perveniant, quàm digestionis et respirationis organa perlustraverint, ipsorum proinde actionem multùm debilitari nemo ibit inficias.

Genus.

Nephritis acuto, continuo, periodicove dolore sævit : per resolutionem, suppurationem, aut gangrænam terminatur, vel in chronicam mutatur.

Splenitis.

Desiderantur observata quibus constent pathognomonica hujus phlegmasiæ symptomata.

Peripneumonia.

Prima species.

Causæ. Subita frigidi aëris impressio, æstuante corpore, post exercitium vehemens, cantum, voci-

ferationem, luctam, cursum, equitationem velocissimam in vento adverso; haustus aquæ frigidæ, in supradictis casibus.

Symptomata, 1°. *localia*: dolor acutus, pungens aut obtusus, profundus, in alterutro vel utroque latere; tussis; exscreatio mucosa, sanguine striata; dyspnoea; anxietas; major minorve oppressio.

2°. *Generalia*: horripilatio; calor; pulsus fortis, durus; paroxysmi sub vespere recrudescentes; insolitus faciei, oculorum, oris, faucium labiorumque rubor.

Diagnosis è causarum et symptomatum exploratione deducitur.

Prognosis eò infaustior, quò major inspirandi difficultas; *Baglivius*.

Respiratio stertens omnium pessima, lethalis.

Expectoratio propera, copiosa, erethismi imminutionem indicat, ideòque bona.

Terminatio. Peripneumonia terminari potest 1°. resolutione benignâ, si laxa temperies, pars affecta non magna.

2°. Excretione, quæ fit, *A* sputo cito, libero, copioso, flavo, cum pauco sanguine, satis crasso, dolorem sedante, respirationem emendante, pulsum ampliorem, et pleniorem reddente, in album et blandum citò mutato; *B* alvi fluxu bilioso, levante, et similia ferè ac sputa descripta ejiciente; *C* urinâ copiosâ, crassâ, hypostaticâ, levante, cùm sedimento primò rubro, sensim al-

bescente, ante septimum diem emissâ; tuncque respiratio facilis; febris mitis et boni moris; adipsia; calor, humiditas, laxitas, mollities æquales toto corpore.

3°. Suppuratione, quam futuram præsagiunt symptomata nec levia, nec tamen pessima, resolutionis absentia, morbique continuatio cum pulsu undoso, molli: quam fieri indicant leves, vagæ, sæpè revertentes, sine causâ manifestâ, horripilationes; doloris remissio; dyspnœa perseverans; genarum labiorumque rubor; sitis; febricula imprimis vespertina; pulsus debilis, mollis: quam denique factam jam docent signa prægressa, tussis pertinax, sicca, ad pastum motumve aucta; decubitus in solum latus affectum tolerabilis; febricula continua, periodica, cibo, potu motuque exacerbata; labiorum genarumque rubor; anorexia; sitis magna; sudor nocturnus, maximè circà jugulum, et frontem; pallor, macies; summa debilitas.

Apostema verò factum varios habet exitus: *A* suffocat, tumore totum pulmonem occupante, vel comprimente partem adhuc in eo liberam; *B* subitâ eruptione puris, vomicam se in asperam arteriam exonerante uno cum impetu; *C* solvitur sputo purulento, liberante, consumente; *D* lapsu puris in cava thoracis vel dilatata mediastini vacua; undè empyema, tabes, phthisisque lethalis.

3°. Gangrænâ, quam prænunciant signa violentissimæ peripneumoniæ, nullâ arte sedatæ, debi-

litas summa, cita, pulsu se imprimis manifestans; frigus extremorum; quam verò jam natam indicant sputa ichorosa, tenuia, cineritia, livida, atra, foetida; undè cita mors.

Curatio. Varia medela usurpari debet pro diverso morbi statu.

1°. Cum adsunt resolutionis signa, quies animo et corpori concilianda; utendum aëre tepido et humido, balneo vaporis ad pulmones, nares, os, pedes, crura, tenui victu, potu leni, medicamentis aquosis, nitrosis, farinosis, mellitis.

2°. Si exscreatio morbum judicatura sit, utendum iisdem, et medicamentis emollientibus, exscreationem promoventibus, leniter reficientibus, vaporibus; vitanda tunc venæ sectio, purgatio, sudoris expulsio, aliave omnia quæ supradictam excretionem perturbare possent.

3°. Si per alvum fiat crisis, prosunt lenia clysmata, fomenta emollientia, abdomini imposita, decocta levissimè laxantia, simul peractis quæ jam suprà annotavimus.

4°. Si urinæ criticæ appareant, prosunt quæ suprà; sed addenda pediluvia, diuretica levissima; fovendi renes clysmate emolliente interno et externo linimento.

Si inflammatio recens, magna, in corpore robusto, paulò ante sano et exercitato vigeat, statim recurrendum ad citam, largam, pro gradu morbi moderandam aut repetendam missionem sanguinis;

ad balnea vaporum emollientium pulmonibus applicanda; ad decocta diluentia, emollientia, anodyna, parvâ copiâ, continenter repetenda, calidissima sorbenda; ad clysmata emollientia; ad victum tenuissimum et antiphlogisticum.

Cùm autem hæc ad debellandum morbum non sufficiunt, futuræque jam adsunt suppurationis signa, nullâ tunc vel parcâ, si quid urget, utendum missione sanguinis, sed victu leni, tepido, paululùm reficiente, sorbitione tussim leniter movente.

Facti verò jam in pulmonibus abscessûs accelerranda in asperam arteriam disruptio per alimenta mollia, subpinguia, deindè pulmones vapore calido tepefaciendi, clamore, tussi, exscreatione, concutione in rhedâ aut navigio agitandi.

Simul ac ruptum fuisse apostema signa edocuerint, utendum victu lacteo, equitatione, vectione in rhedâ aut navi.

Grangrænæ signa ad ultima ventum esse indicant. *Vide Boerh. Aphoris. de Peripn. verâ.*

SPECIES COMPLICATÆ.

Peripneumonia cum febribus essentialibus, imprimis cum gastricâ, adynamicâ et atactâ complicari potest; hinc varia phænomena, varia prognosis atque curandi methodus.

Genus.

Febris acuta cum dolore profundo, pungente vel obtuso, in alterutro thoracis latere, quæ resolutione, suppuratione, vel gangrænâ terminatur.

ORDO II. *Phlegmasiæ telæ cellulosæ et glandularum secretionibus inservientium.*

Illæ phlegmasiæ tribus absolvuntur periodis.

1ª *periodo :* dolor sensim crescens; calor; tensio; sensibilitas major; febris concomitans quæ varia est pro parte læsâ ægrique habitu.

2ª *periodo :* symptomatum exacerbatio; sæpè horrores vagi; dolor lancinans; sensus gravitatis in loco affecto.

3ª *periodo :* cessatio doloris, caloris, tensionis; indè puris efformati præsagium.

Cætera verò tum localia, tum generalia phænomena ad visceris affecti læsionem respiciunt.

TERTIUS ORDO.

Phlegmasiæ membranarum serosarum.

Encephalitis, seu inflammatio meningium, phrenitis.

PRIMA SPECIES.

Encephalitis simplex.

Causæ. Corporis habitus sanguineus, irascibilis; juventus; ætas adulta; insolatio; intemperantia;

violenta animi pathemata; studia intensissima; pervigilia; vehemens exercitium; subita consuetæ hæmorrhagiæ suppressio; metastasis arthritica, rhumatica; retropulsio ulceris vel exanthematis, erysipelatis, scabiei, herpetis.

Symptomata. 1°. *Ineunte morbo* : vehemens agitatio; manuum tremor; memoriæ læsio; nunc responsa aspera, proterva; nunc verò inusitata hilaritas; oculi fixi, nitentes; fletus involuntarii; facies rubra, turgida; aucta visûs et auditûs acies.

2°. *Crescente morbo* : conatus è lecto surgendi; clamores inordinati, confusi; cantus hilares; nunc lætitiæ accessus, nunc furoris impetus; errantes oculi; facies ruberrima; respiratio rara, profunda.

3°. *Vergente morbo* : coma; pupilla immota, amplificata; clamores identidem; stupor; sensuum obliteratio; oculi extincti; linguæ manuumque tremor; tendinum subsultus; faciei musculorum convulsio; apoplexia; mors.

Diagnosis. Causæ et symptomata ritè explorata morbi naturam elucidant. Cuilibet autem prægressa attendenti obvia fit symptomaticam inter et idiopathicam phrenitidem distinctio.

Prognosis. Encephalitis morbus valdè periculosus ob viciniam organi vitæ essentialis.

Sputatio autem frequens et indecora in astantes, feces et urina suppressæ, malum.

Tremor, carphologia, oculi pulverulenti, den-

tium stridor, frequens aut continua symptomatum permutatio, lethalis.

Terminatio. 1°. Morbus aliquandò, raró tamen, per resolutionem terminatur. Quam præsagiunt erethismi imminutio; respiratio liberior et facilior; alvi fluxus levans, et criticus; urina hypostatica; sudor ex omni parte bonus; hæmorrhagia per nares copiosissima.

2°. Mutari potest in morbum chronicum; hinc visûs hebetudo, cæcitas, surditas, mentis alienatio.

3°. Desinit in lethargum, catalepsiam, apoplexiam; undè mors citò superveniens.

Autopsia. Secta defunctorum cadavera meninges inflammatas, sinus duræ-matris denso nigroque sanguine infarctos, cerebri latibula sero plena, ipsius denique substantiam visceris suppuratam aut gangrænâ vitiatam ostendunt.

Nulla tamen aliquoties invenitur encephali læsio, quamvis vehementia præcesserint phrenitidis symptomata; hinc confirmatur phrenitidis symptomaticæ ætiologia.

Curatio. 1°. Æger citò abstinendus est; danda solùm ptisanna tenuis, diluens, anodyna, acidula, nitrosa.

2°. Irritatio et humorum coïtus ab encephalo derivari debent, cruoris emissione ex pede, brachio, jugulo, tempore, podice, vulvâ.

Quibus ità præmissis, et non cedente malo, pediluviis et epispasticis utendum; fricanda fe-

mora, cruraque; cucurbitulæ ad inferiora applicandæ; juvant etiam clysmata, quandòque vomitoria, purgantia, emollientia raso capiti imposita.

SPECIES COMPLICATÆ.

Encephalitis cum febribus essentialibus, præsertìm cum atactis complicari potest.

GENUS.

Læsio intellectûs facultatum et animi affectuum; febris acuta concomitans; nunc delirium jocosum, protervum; nunc verò stupor, coma.

Pleuritis.

SPECIES SIMPLEX.

Causæ vulgò eædem sunt quæ peripneumoniæ, nimirùm subita frigidi aëris impressio, haustus aquæ frigidæ, æstuante corpore, post exercitium vehemens, etc.

Symptomata. Morbus incipit horrore, debilitate, lassitudine spontaneâ, quibus succedunt calor sensìm crescens, dolor costarum seu lateris, pungens, inspiratu auctus; tussis sicca, ferè perpetua, magnum dolorem inferens; pulsus nunc durus, fortis, amplus, nunc verò exiguus, depressus, quasi suffocatus, undè sæpè medicus turpiter fallitur; paroxysmi vespere nocteque acriter sæviunt.

Diagnosis. Pleuritis peripneumoniæ simillima; eadem enim causa, eadem ferè symptomata; ergò plerumque difficilis distinctio. Verùm in praxi error levis est, cùm morbus uterque eâdem curetur medelâ.

Prognosis. Dolor sedem mutans, ad manus, dorsum scapulasque migrans, bonus.

Sputa levia, flava, striis sanguineis intertexta, vergente morbo, bona.

Dolor verò eundem pertinaciter lateris locum tenens, cum tussi febreque vehementissimis sæviens, acutissimè pungens, omnem thoracis motum impediens, ægros enecat.

Terminatio. 1°. Pleuritis terminari potest resolutione, cùm symptomata mitia sunt.

2°. Excretione criticâ; *A* hæmorrhoïdibus debitâ copiâ et opportuno tempore fluentibus; *B* urinâ copiosâ, crassâ, hypostaticâ, subrubrâ, levante, ante quartum sextumve diem; *C* alvo feces flavas ante idem tempus ejiciente; *D* sputo copioso, bilioso, subcruento, mox puriformi, albo, diu continuato, cum levamine.

3°. Suppuratione, quam futuram præsagiunt dolor ultra quartum vel sextum diem perseverans; absentia resolutionis; neglectus medelæ requisitæ; quam fieri docent horror sine causâ recurrens; doloris remissio; dyspnœa; genarum labiorumque rubor; sitis; febricula vespertina; pulsus

debilis, mollis; quam denique factam indicant, sputa purulenta; tussis pertinax, post pastum motumve aucta; decubitus in latus affectum tolerabilis; febricula hectica.

4°. Gangrænâ cujus signa sunt levatus sine causâ dolor; sputa subcruenta, nigra, purulenta, cænosa, fuliginosa, fœtida; virium resolutio; vultûs mœstitia; oculorum caligo; respiratio stertens, fœtens; lividus thoracis color.

5°. Lymphæ aut puris elapsu in cava thoracis, cujus causæ sunt aucta exhalatio, simulque imminuta resorptio, vel ruptio abscessûs jam efformati, undè hydrothorax aut empyema, mala pessimi ominis: utrumque verò factum jam indicant decubitus in latus affectum tolerabilis, in liberum impossibilis; sensus oppressionis ad levissimum quemque motum; affectum thoracis latus obscurè resonans; summa quidem respirandi difficultas, presso sursum abdomine; tussis verò sicca, suffocatio, permanente pressione; thorax ferè tumidum; liquidi fluctuatio sub musculis intercostalibus; terriculamenta in somnis; facies tumida; pedes frigidi, inflati; pulsus celer, parvus, etc.

6°. Concretione quâ pleura costalis pulmonali adhæret; hinc asthma, dyspnœa, tussicula sicca, imprimis pastu motuque aucta.

Autopsia. Sectus defunctorum thorax, pleuram rubram, densam, inflammatam, pseudo-membranâ

indutam, costis accretam, vel liquidâ lymphâ ablutam ostendit; quandòque etiam pulmones inflammati inveniuntur.

Curatio. 1°. Si resolutionis spes affulgeat, victu tenui, blando et emolliente utendum.

2°. Si coctionis et excretionis signa extiterint, evacuationi quam natura molitur subveniendum est, eòque ducendum quò ipsa vergit.

3°. Si pleuritis ingens, in corpore robusto, sano, exercitato, sine resolutionis spe vigeat, missio sanguinis illicò instituenda est larga, ex magno vase, per amplum vulnus; deindè eò crebriùs repetenda quò sæviora recrudescunt symptomata; adhibenda simul extrorsùm balnea, fomenta, tepefactoria, etc.; intùs verò ingerenda sunt diluentia, laxantia, anodyna, emollientia; vitanda sunt calefacientia, nimius aëris, solis, foci lectique calor, victûs immoderatio, medelæ acritas.

4°. Rupto abscessu, effusâve lymphâ in cava thoracis, paracentesis instituenda; verùm hæc ad chirurgiam.

5°. Factâ gangrænâ, de ægro conclamatum est.

SPECIES COMPLICATÆ.

Pleuritis cum febribus essentialibus, nimirùm cum gastricâ, adynamicâ et atactâ complicari potest.

GENUS.

Dolor pectoris pungens, inspiratione tussique ingravescens; exscreatio parca.

Pericarditis.

Hæc inflammatio juxta doctorem *Selle* indicari solet dolore pungente, gravante in imo pectore; anxietate; cordis palpitatione; continuâ ad tussim dispositione..... Verùm pauciora adhuc observata memorantur quam quæ ad pathognomonica hujus phlegmasiæ symptomata contrahenda sufficiant; hâc de re legatur diarium mortis *de Mirabeau* auctore *Cabanis.*

Peritonitis.

PRIMA SPECIES.

Causæ. Solita victûs intemperantia; abusus alcoholicorum; menstruorum suppressio; subita aëris frigidi impressio, æstuante corpore; retropulsio exanthematum; diuturna animi pathemata.

Symptomata. Dolor acutus abdominis pressione tactuve levissimo ingravescens; ventris tensio, murmur; nausea, vomitus; singultus; constipatio aut diarrhoea, cum vel sine tenesmo; inspiratio impedita aut laboriosa propter ventris dolorem; pulsus exiguus, strictus, depressus, quandòque inæqualis et abnormis; facies pallida, collapsa, quasi retracta; tempora concava.

Diagnosis è causâ et symptomate, præsertìm doloris sede, pulsûs depressione, faciei collapsu et retractione deducitur.

Prognosis. Peritonitis inter periculosissimos morbos recensenda, ob viciniam intestinorum aliorum-

que viscerum abdominalium quæ peritonæo involvuntur.

Terminatio. 1°. Resolutione, si levia sint symptomata et ægrotus anteà fuerit integer : hanc fieri docent symptomatum remissio vel cessatio cum quibusdam excretionibus criticis, levantibus.

2°. Suppuratione, quam prænunciant morbi protractio, ultra octavam nonamve diem, partis affectæ gravitas, horripilatio, pulsus febrilis, mollis, hecticus.

3°. Gangrænâ, quam factam significant subita doloris remissio, frigus subitum post vehementem æstum, pulsus debilis, intermittens, facies prostrata, terrea, aut ex viridi flava.

Curatio. Simul ac peritonitis præsens per sua signa manifestatur, tentanda sanatio, missione sanguinis largâ et repetitâ, si opus est, ut in pleuritide ; potu antiphlogistico et emolliente ; clysmate laxante ; fomentis similibus abdomini impositis ; fugâ eorum quæ mali impetum augere possunt, cibi scilicet, potûs, medicamenti acris ; quies animo et corpori concilianda.

Si peritonitis in suppurationem abeat, summa hinc oritur malorum cohors, quæ ægrum vulgò in ruinam trahunt : tunc sedulò abstinendum est, maturantibus utendum, donec natura quò ducendum indicaverit.

Gangræna, cum jam instat, immedicabilis.

SECUNDA SPECIES.

Peritonitis puerperarum.

Causæ. Exquisita puerperarum sensibilitas; lochia suppressa, devia; subita lactis interruptio; violenta animi pathemata.

Symptomata. Ab exordio, horror cui succedit calor plùs minùsve intensus; dolor in variis abdominis partibus, interdùm acutissimus, pressione vel minimâ ingravescens; nausea; vomitus; singultus; alvus suppressa vel liquida; mammarum collapsus; nunc lochiorum suppressio, nunc eorum fluxus, ut par est; pulsus parvus, depressus; cutis sicca, calida, quandòque sudore madida.

Diagnosis è causis, symptomatibus, præsertim è prægresso partu deducitur.

Prognosis. Hic morbus puerperis perquàm infaustus, sæpè lethalis.

Terminatio. Peritonitis puerperarum, veluti præcedens, resolutione, sudore critico, suppuratione aut gangrænâ finitur.

Curatio. 1°. Removenda objecta insalubria quæcumque; extrema, sæviente frigore, fovenda.

2°. Mox dari debent ptisanna, polenta, serum lactis, potus tepidi, cutem emolliendi vel laxandi gratiâ.

3°. Si primæ viæ colluvie inquinentur, radix ipecacuanhæ fractâ dosi adhibenda.

4°. Si alvus obstructa fuerit, clysmate emolliente, tepido fotu, potu acidulo solvenda.

5°. Si verò nimiùm fluat, amara et tonica cum laxantibus miscenda sunt; quædam tunc rhabarbari grana summoperè juvant.

SPECIES COMPLICATÆ.

Peritonitis cum febribus essentialibus complicari potest; hinc variæ puerperarum febres.

GENUS.

Dolor vagus in abdomine; meteorismus; singultus; vomitus; respiratio impedita; facies collapsa, retracta; alvus suppressa vel liquida.

ORDO III. *Phlegmasiæ membranarum serosarum.*

1°. Hujus ordinis phlegmasiæ acutissimo notantur dolore, cujus sedes aliquandò variabilis.

2°. Has concomitantur acuta febris, pulsus varius pro vario phlegmasiæ genere, calor urens.

3°. Cutis est sicca, arida; locali tamen sudore respergitur, vergente paroxysmo.

4°. Illæ phlegmasiæ celeriter progrediuntur; quandòque fallaciter remittunt.

5°. Terminari possunt resolutione benignâ, adhæsione non naturali, generatione pseudo-membranæ, gangrænâ, hydrothorace, empyemate, hydrope, phlegmasiâ chronicâ.

QUARTUS ORDO.

Phlegmasiae musculorum et articulorum.

Hic ordo tria genera continet, podagram scilicet, rheumatismum et metritidem.

Podagra.

SPECIES SIMPLEX.

Causæ. Corporis habitus robustissimus; vita otiosa; alimenta opipara; bacchi et veneris abusus; studia intensissima; pervigilia; subita victûs mutatio.

Sedes podagræ. Scapulæ; axillæ; brachia; hemicranium; imæ cervicis fossa; pars anterior vel lateralis pectoris; unde, quasi oculi ictu, migrare potest ad coxendicem, genua, pedes, vel ab inferioribus ad superiora reverti, motu retrogrado.

Symptomata. Podagra vulgò articulos aut viscera afficit.

Si primum; dolor acutus, tensivus, dilacerans, lancinans, vel obtusus, qui repentè aliquem pedis articulum occupat; qui gradatìm ad summam usque intensitatem progreditur, mox, intumescente et rubente loco affecto, mitigatur; qui plures per dies reverti solet, mitior tamen, sequente majori minorive intermissione, pro recentiori aut vetustiori morbo.

Illa phlegmasia sic variis recrudescit temporibus, diversos occupans articulos, quorum, labente ætate, formam, ligamenta usumque destruit, partibus in nodos quasi lapideos concrescentibus.

Si secundum; podagra abnormis dicitur; tunc autem parùm afflictis aut subitò liberatis articulis, viscera vehementer afficiuntur. Porrò si morbus in triculum introiverit, anxietatem, vomitum, cardialgiamque vehementem; si in pectus, palpitationem, summam respirandi difficultatem, syncopen, phthisim; si in cerebrum, vertigines, cephalalgiam ingentem, comam aut paralysim generat.

Diagnosis è causis, sede et symptomatibus ritè exploratis deducitur.

Prognosis. Podagra hæreditaria et tophacea curatu difficillima.

Sine tumore, miserrima; cum tumore, benignior.

Dolor autem quò acerbior, eò longiora promittit sanitatis intervalla, et vice versâ.

Curatio. Cùm morbus in articulis sedet, cavendum est ne interturbentur naturæ vires. Ineunte paroxysmo, pars affecta lanâ vel cuniculi aut cygni pellibus involvenda, ut frigus et humiditas arceantur.

Vigente morbo, procul absunto emplastra, cataplasmata, narcotica, refrigerantia, constringentia, etc.; articulus ceratâ telâ solùm obducitor.

Vergente morbo, leni exercitatione, frictione utendum est; articulus lanâ involvendus.

Remedia interna nulla, vel summâ cum acutelâ adhibentor. Sanguis raró mittendus : purgantia parùm prosunt, sæpè nocent; sudorifica arte instituta magis conferunt.

Cibi leves sunto, coctuque faciles.

Per intervalla paroxysmorum exercitatio vehemens et continua commendatur, nimirùm equitatio in aëre puro, frictio, vectio in rhedâ, somnus longus et præmaturus.

Cum podagra in cavitates splanchnicas introvertitur, sine morâ in juncturas revocanda est; quam obrem vesicantia femoribus statìm applicanda; loca dolere assueta aromaticis, salinis, acribus ungenda; deambulandum est; corpus vehementer exercendum; sudorifica largâ propinanda dosi; quibus itâ peractis et incipiente dolore, in calido lecto repositus et opertus sudet æger.

SPECIES COMPLICATÆ.

Utraque podagræ species melancholiam, hypochondriam, morbos cutaneos, solitæ hæmorrhagiæ suppressionem, dolores colicos, asthma, scorbutum luemque veneream comites habere potest.

GENUS.

Morbus sæpè per parentes ad nepotes transmissus, articulos subitò invadens, per intervalla revertens, ad interna viscera remigrans.

Rheumatismus.

SPECIES SIMPLEX.

Triplex hujus speciei varietas, videlicet rheumatismus generalis, lumbago, et tumor, ut aiunt, albus et rheumaticus articulorum.

PRIMA VARIETAS. *Rheumatismus generalis.*

Causæ. Ætas adulta; victus immoderatus; corporis habitus sanguineus; solitæ hæmorrhagiæ suppressio; loca frigida; subitæ aëris vicissitudines; frigoris impressio, æstuante corpore.

Symptomata. Ab exordio, horror cui succedit anxietas; calor acris; pulsus durus, frequens; dolor in toto corpore, præsertìm in articulis majoribus et in musculis; motus difficilis aut impossibilis; paroxysmi vespere revertentes noctuque sævientes.

Vigente morbo : constipatio, urina rubra, sedimentosa.

Desinente morbo ; decimâ quartâ aut vigesimâ primâ die, mitigatio symptomatum; reditus motilitatis ac sanitatis integræ.

Terminatio. Resolutio, vel crisis per sudores aut urinas.

Rara suppuratio; aliquandò paralysis aut membrorum debilitas; vel rheumatalgia chronica quæ

propter regiminis errores aut aëris vicissitudines exacerbatur.

Diagnosis. Rheumatismus cum podagrâ confundi potest. Distinguitur tamen doloris sede, ægroti ætate, attentâque causarum et symptomatum exploratione.

Curatio. Expectationis via ad sanitatem plerumque conducit ægros; raró prodest, sæpè verò nocet missio sanguinis, aut purgantium farrago.

Si morbus in chronicum degeneret, proficiunt diaphoretica, sudorifica.

SECUNDA VARIETAS. *Lumbago.*

Causæ. Solita corporis in anteriorem partem incurvatio, ut in agricolis qui varias aëris mutationes perferre coguntur.

Symptomata. Morbus ab exordio dolorem nephriticum quandoque mentitur, quasi calculus è renibus per ureterem in vesicam prolabatur; lumbi, coxæ, sacrum, perenni, fixo vehementique dolore torquentur.

Terminatio. Lumbago resolvitur aut in chronicam degenerat.

Hinc *diagnosis*, *prognosis* atque *curatio*.

TERTIA VARIETAS. *Tumor albus et rheumaticus articulorum.*

Causæ. Luxatio, fractura, vulnus, rheumatismus.

Symptomata. 1°. *Ab exordio,* dolor acutus totum

occupat articulum, et ad musculorum tendines atque aponevroses usque proserpit; tegumenta vicina tument et uniformiter tenduntur, non mutato colore; dolor motu exacerbatur, quiete verò et flexione mitigatur; hinc membri contractio, rigor.

2°. Nisi tumor naturâ vel arte resolvatur, crescere pergit, atque duplam triplamve molem obtinet; turgent aut dilatantur venæ; pars membri infrà posita tabescit aut intumet; dolor calore fit intolerabilis; variis in articuli partibus nascuntur abscessus quorum varia directio, nulla tamen inter se communicatio; in iis manifestatur fluctuatio atque renixus; si pertundantur, effluit statim materia purulenta, paululùm densa, mox sanies limpida, fœtida, superstite tamen eodem tumoris volumine: quibus sponte curatis ulcusculis, nova repullulant. Quapropter in veteribus ejusmodi tumoribus integumenta vicina cicatriculis quaquaversùm obducuntur.

3°. Tandem miseri consumuntur ægri sive doloris acerbitate, sive agrypniâ et inappetentiâ; pulsus autem frequens, exiguus, nocturni sudores, diarrhœa colliquans mortem in propinquo adesse significant.

Autopsia. Sectis articulis, ligamenta quandoque densissima apparent, etiamsi morbus recens fuerit; ossa et cartilagines plerumque ut sanis, aliquandò carie exesa; synoviæ autem nulla vitia inveniuntur.

Cùm morbus invaluit, tela cellularis glutiniosâ densâque materiâ infarcitur; hinc tumoris elasticitas

et renixus ; quandoque etiam pus in variis locis colligitur, neque tamen cum albumine commiscetur, nisi morbus vetustissimus fuerit; tandem hydatides non semel in abscessibus generatæ memorantur.

Hinc *diagnosis*.

Prognosis. Sanitas aliquandò redit integra; sæpè tamen morbus fit recidivus; quin imò ad mortem ægros præcipitat, nisi membrum resectum fuerit.

Curatio. Ineunte morbo, quies membro concilianda; mox articulus pannis laneis involvendus, ut leni blandoque calore foveatur.

Quibus ità præmissis, nisi morbus resolvatur, cucurbitulæ utrique rotulæ lateri apponendæ, eòque crebriùs repetendæ, quò major symptomatum intensitas; octo decemve sanguinis unciæ hâc viâ detrahendæ. Cùm autem pars affecta tumet admodùm, nisi cucurbitulis inflatio discutiatur, ad hirudines confugiendum est.

Dum hæc ità geruntur, mediæ rotulæ applicandum est emplastrum vesicans; deindè, sanatis cucurbitularum aut hirudinum vulnusculis, ad rotulæ latera ducendum, ut partes affectæ perenni stimulo irritentur.

Diluentia, laxantia fomentaque simul adhibenda sunt; ægri vires sustentandæ.

Quæ si remedia adhibeantur incassùm, membrum resecandum est. *Vide opera Benjam. Bell.*

SPECIES COMPLICATÆ.

Rheumatismus cum febribus essentialibus, phlegmasiis et neurosibus complicari potest.

GENUS.

Dolor acutus musculos aut articulos aut utrosque simul vexans ; partis affectæ calor, rubor, tumor ; morbus semel aut pluries revertens,

Carditis.

Quidam medici, *Senac, Sauvages, Selle*, hujus morbi symptomata enumerant, nimirùm dolorem punctorium sub sterno ; cordis palpitationem ; anxietatem continuam ; pulsum parvum, inæqualem ; calorem exiguum.

Maximil. Stoll ardorem et dolorem obtusum, constrictionem præcordialem, anxietatem, inquietem, syncopen, pulsumque debilem memorat.

Hinc certa *diagnosis* inferri nequit, cùm varii auctores non consonent. *Morgagnus* dubia et instabilia esse opinatur symptomata quibus cordis ulcera ab ipsius inflammatione distinguntur. Quod viscus non unius ordinis phlegmasiâ forsàn vexari potest.

Diaphragmatitis.

Paraphrenitis et risus sardonicus, auctore *Boerhaavio*, diaphragmatis inflammationem concomitantur : idem censet *Maximill. Stoll.*

Morgagnus paraphrenitidem cum diaphragmatis inflammatione simul extitisse memorat; verùm, secto defuncti cadavere, pia-mater inflammata apparuit.

Willisius duo refert exempla inflammati diaphragmatis absque delirio risuve sardonico.

Idem confirmare videntur observatio ab *Antonio Dehaën* memorata, et acta *Societatis Medicæ Hauniensis*, *ann.* 1777.

Insuper diaphragma musculosis tendineisque fibris conflatur, atque septum illud transversum hinc pleurâ, indè peritonæo circumcingitur; ergò diversis phlegmasiarum ordinibus obnoxium est. Verùm desunt observata quibus certa statuatur diagnosis; idemque dici debet de inflammatione fistulæ intestinalis aut vesicæ urinariæ ob varia fibrarum genera quibus earum fabrica struitur.

Métritis.

PRIMA SPECIES.

Metritis acuta aut chronica.

PRIMA VARIETAS. *Metritis acuta.*

Causæ. Vis utero illata, vel attrectatio imprudens, intempestiva, cùm partus difficilis est; aëris frigidi in vulvam et uterum impressio; menstruorum aut lochiorum suppressio.

Symptomata. Sensus doloris, ardoris et gravitatis

in hypogastro; tumor in pube dolens, si uteri fundus inflammetur; os uteri ad contactum dolens, durum, clausum et retractum, stranguria et tenesmus, si inflammatio ad cervicem magis protendat; alvi obstructio; vomitio; cephalalgia; mastodynia; menstruorum lochiorumve suppressio, aut putrida eorum depravatio.

Diagnosis. Metritis causarum, symptomatum imprimisque puerperii accidentium exploratione elucidatur.

Prognosis. Exitus eò pejor, quò major causæ et symptomatis intensitas.

Terminatio. Metritis finitur 1°. resolutione, si causa levis et mitia symptomata.

2°. Suppuratione, tuncque abscessus in vaginam, aut in rectum, aut in abdomen, aut in vesicam sese exonerat, aut per vias alias prodit.

3°. Gangrænâ, unde virium prostratio, vulvæ foetor, mors.

Curatio. Ab exordio tentanda resolutio antiphlogisticis, phlebotomiâ, hirudinibus, cucurbitulis, cataplasmate emolliente, anodyno, fomentis, balneis, etc.

Si adsint suppurationis signa, expectanda abscessûs maturatio, eòque ducendum quò natura vergit.

Gangræna nullam medelam capit.

SECUNDA VARIETAS. *Metritis chronica seu uteri scirrhus.*

Causæ. Menstrua suppressa, devia aut anomala; abortus; partus difficilis; veneris abusus; virus syphiliticum, etc.

Symptomata. Ab exordio, os uteri tumidum, durum, renitens, scirrhosum, ad contactum levissimum dolens; sensus ponderis in pelvi; dolor lancinans, per intervalla recrudescens.

Progrediente morbo, ulcus uteri, cancer, tuncque dolor perennis, identidem uterum acerbissimè vexans; saniei aut ichoris fluxus; alvus obstructa; sensus doloris et quasi ponderis rectum comprimentis; urodynia; febris hectica; macies; diri cruciatus; mors.

Autopsia. Sectis defunctarum cadaveribus, nunc uteri cervix, nunc ipsius cavum aut utrumque simul cancro erosum invenitur.

Ulcus autem variam pro sede formam exhibet: durâ, varicosâ, præruptâ, rubrâ, lividâ nigrâque margine ambitur; opaco, obscuro fœtidoque ichore imbuitur; aut crustâ obtegitur fungosâ, molli, friabili, cujus varia crassitudo, color fuliginosus, cinereus, variegatus.

Ulceris verò fundus densus, lardaceus, varicosus, albus, pallidus apparet: ex quo, si comprimatur, distillat materia purulenta, albissima, satis cohærens.

Diagnosis. Symptomata jam enumerata cancrum indigitant; ergò sedulò exploranda sunt, ut, nisi funestus, turpis saltem vitetur error; multùm autem excellunt in indagandis uteri morbis medici artis obstetricantis periti.

Prognosis. Scirrhus uteri ab exordio levis est, idoneâque medelâ quandoque resolvitur, aut saltem stationarius redditur; cùm autem in pejus ruit atque in cancrum degenerat, de ægrâ conclamatum est.

Curatio. 1°. Si pars uteri affecta doleat, demulcenda est decoctis emollientibus, anodynis, narcoticis.

2°. Sedato dolore, tentanda scirrhi resolutio, affusione aquæ calidæ cui pauxillum sulfuris potassæ additur; tuncque dari debet cibus levis coctuque facilis, potus blandus, anodynus, etc., quæ remedia diu continuanda, ut debitum effectum sortiantur.

SPECIES COMPLICATÆ.

An metritis acuta cum puerperarum febre seu peritonitide complicari potest?

GENUS.

Sensus doloris et gravitatis in hypogastro; tumor ad pubem; os uteri durum; stranguria; constipatio; mastodynia; lochiorum suppressio vel corruptio.

ORDO V. *Phlegmasiæ articulorum et musculorum.*

Multa desiderantur adhuc observata, ut hic phlegmasiarum ordo accuratè adumbrari possit.

Quædam, uti podagra, acutæ vel chronicæ, regulares aut irregulares, è sede primâ in viscera migrare, per totum vitæ decursum existere, cæteras phlegmasias aut affectus nervosos mentiri possunt.

Phlegmasiæ verò quæ musculos aut majores articulos vexant, generales aut locales, acutæ vel chronicæ, semel aliquandò in vitæ decursu obtinent.

Dubia et incerta quæ ad cordis, diaphragmatis, fistulæ intestinalis et vesicæ phlegmasias pertinent.

ORDO QUINTUS.

Phlegmasiae membranorum mucosarum.

Membranæ mucosæ vias aëriferas, alimentarias, et genito-urinarias obducunt; hinc phlegmasiarum genus multiplex.

Ophthalmia.

Causæ. Corporis habitus sanguineus; impressio aëris frigidi in oculum, æstuante corpore; vis oculo illata; suppressio evacuationis solitæ, naturâ vel arte institutæ; corpuscula sub palpebris intromissa;

lumen vividissimum; conspectus objectorum fermè imperceptibilium; ebrietas frequens.

Symptomata. 1°. Si ophthalmia levis est, blandus corneæ rubor; oculi pruritus, calor, gravitas; palpebræ semi-clausæ; raró febris, nisi æger exquisitâ sensibilitate præditus sit; quatuor autem vel quinque elapsis diebus, ophthalmiæ resolutio, aut ipsius in chronicam mutatio.

2°. Si morbus sit vehemens, ardor in oculo; febris; cephalalgia ingens; agrypnia; dolor occipitis; spasmodica bulbi superciliique contractio; ingratus luminis etiam moderati sensus; fletus acres, viscidi; contractio pupillæ; adnatæ rubor atque tumor; vasorum turgescentia; oculi excrescentia; progrediente morbo, vasorum ruptura, et sanguinis effusio in telam cellulosam ambientem.

Hinc *diagnosis* atque *prognosis.*

Curatio. Ophthalmia levis solis ferè naturæ viribus sanatur; quies corpori concilianda; vitanda luminis impressio; dandi potus diluentes.

Cùm verò gravis est inflammatio, ad remedia sive generalia sive topica confugiendum est.

1°. Quidem missio sanguinis ad brachium, talum instituenda, atque pro ægri ætate, viribus, malique gravitate repetenda; hirudines ad palpebras, oculi angulum apponendæ.

Si ophthalmia epistaxi, hæmorrhoïdibus, menstruis, lochiisve suppressis successerit, hirudines ad nares, anum, aut vulvam admovendæ.

Cùm viscera abdominalia sordibus inquinantur, emesi aut emeto-catharsi liberanda sunt; tuncque laxantibus, diluentibus, acidulis, sero lactis, etc., utendum est.

2°. Cùm morbus recens est, emollientia oculo applicanda; nimirùm cataplasma è micâ panis cum lacte, croco, pulpâ dauci, pomis igne subactis; idque bihorio quolibet renovandum.

Oculorum ardor ovi albumine, psylliive mucilagine mitigandus est.

Palpebrarum margines cerato inungendæ, ne agglutinentur, neve concrescant lacrymæ.

SPECIES COMPLICATÆ.

Ophthalmia cum febre angiothenicâ, colluvie gastricâ, etc. complicari potest.

GENUS.

Adnatæ inflammatio, turgescentia, calor; major aut minor oculorum sensibilitas.

Aphthae.

PRIMA VARIETAS.

Causæ. Constitutio lymphatica; pueritia; senectus; aër calidus et humidus, non renovatus; loca humida, paludosa; corporis illuvies; alimenta pravæ indolis.

Symptomata. Nunc tubercula, nunc ulcuscula albida, superficiaria, rotunda, miliaria, os inter-

num, labia, gingivas, palatum, linguam, tonsillas, œsophagum, ventriculum, tenuiorumque intestinorum fistulam occupantia, serum excernentia et in desquamationem abeuntia; modò solitaria, modò coadunata, et crustam albam, densam, pellucidam, partibusque subjacentibus adhærentem efformantia.

Diagnosis è tuberculorum aut ulcusculorum sede, formâ et colore derivatur.

Prognosis raò infausta.

Curatio. Primâ morbi periodo, emollientibus et diluentibus utendum est, titulo cibi, potûs, gargarismatis, collutorii.

Secundâ morbi periodo, levia tonica et astringentia eodem titulo adhibenda sunt.

Secunda varietas. *Aphthæ pueros in nosocomiis vexantes.*

Causæ. Aëris restagnatio; alimenta insalubria; defectus lactis materni; illuvies.

Symptomata. Ineunte morbo, somnus profundus; faciei et labiorum convulsio; respirandi difficultas; virium prostratio; pulsus debilis; vomitus.

Invalescente morbo, oriuntur tubercula superficiaria, albida, distincta, benigna, quorum interstitia neque rubent neque inflammantur; os parùm calet atque rubet; pueruli materna ubera sugunt, deglutiunt, dormiunt, parùmque diarrhoeâ vexantur; tandem tubercula flavescunt, in squamas abeunt, et nonâ decimâve die redit sanitas.

Aphthis autem confluentibus aut in gangrænam vergentibus, pustulæ confertæ, contiguæ, in labiis, gingivis, linguâ, internâ genarum superficie, faucibus, vicissim resiccantur et renascuntur. Os internum ardet; pueruli labella mammis ægrè apponunt, quas aliquandò excoriant; diarrhoeâ vexantur; sopore gravantur; in mœrore versantur; fletus edunt languidos; os internum à labiis ad fauces usque densâ, albâ lacteâque crustâ obducitur; quâ flavescente et labente, manifestantur ulcuscula gangrænosa, è flavo obscura: tunc autem vehemens et continua agitatio; tensio abdominis; alvi fluxus immodicus, acris, viridis; ani rubor, excoriatio, gangræna, dolor intolerabilis.

Inde *diagnosis* atque *prognosis*.

Prophylaxis. Alimenta bonæ indolis, mundities, materni lactis usus, aëris renovatio et salubritas morbum arcent.

Curatio. 1°. Si morbo benigna sit indoles, sana atque salubris mamma puerulo præbenda est.

Cùm recens natus ab ubere depulsus est, nutriendus est potu leni crebroque, decoctâ oryzâ, ptisannâ, animantium lacte cum duabus tertiis partibus seri absque acidis præparati et saccharo syrupove conditi.

Partes oris affectæ ungendæ sunt penicillo et linteis carptis, aut linteolo immerso in decoctum hordei cum melle rosato et quibusdam guttulis acidi sulfurici.

2°. Si aphthæ confluant, minùs facilè curantur; tunc autem dari debent soli potus tenues, mucosi, serum lactis sine acidis paratum, jus vitulinum, cum sex octove magnesiæ granis ter die repetitis.

Cùm autem ægrotuli extremâ debilitate afficiuntur, potibus roborantibus, aquis distillatis, addito syrupo è corticibus aurantiorum, refocillandi sunt.

Oris ulcuscula aquâ calcis et decocto hordeo cum melle rosato, vel decoctâ althæâ cum syrupo corticis Peruviani et quibusdam acidi sulfurici guttulis inungenda sunt.

SPECIES COMPLICATÆ.

Aphthæ cum febre pituitosâ aut adynamicâ complicari possunt; si primùm, ulcuscula albida remanent, si secundùm, nigra fiunt.

GENUS.

Tubercula albida, superficiaria, rotunda, discreta vel coacervata, crustas varii caloris plùs minùsve adhærentes efformantia.

Angina gutturalis.

Causæ. Pueritia; adolescentia; temperies sanguinea; ver et autumnus; aëris vicissitudines; subita pedum refrigeratio; equitatio in vento adverso; potus frigidi, æstuante corpore; acria ingesta, suppressio excretionis solitæ.

Symptomata. 1°. Si tonsillæ inflammentur, ab exordio, horror cui succedunt calor, sudor, dolor et ardor in faucibus; deglutitio difficilis et molesta; rubor et tumor alterutrius vel utriusque tonsillæ, veli penduli; secretio mucosa gutturis primò suppressa, mox exscreatio materiæ viscidæ, glutinosæ.

Quæ symptomata per quatuor, septem aut quatuordecim dies durare solent; quibus elapsis, morbus finitur aut resolutione; aut expuitione materiæ mucosæ, flavæ, opacæ; aut suppuratione; aut metastasi in cerebrum, pulmones, viscera abdominalia; aut induratione.

2°. Si inflammatio pharyngem occupat, horroribus succedunt calor generalis; sensus ardoris et doloris in imo gutture, sine læsione manifestâ; deglutitio difficilis, molesta; reditus potuum per nares; tussis convulsiva; exscreatio primùm mucosa, limpida, viscida, mox opaca, flava, densa.

Hæc phlegmasia septimâ vel decimâ quartâ die finitur resolutione, raròsuppuratione aut induratione.

Hinc *diagnosis* atque *prognosis.*

Curatio. Sanguis è jugulo, brachio, talove mittendus est; inspirandus vapor aquæ calidæ; hauriendi potus emollientes, laxantes; gargarismate leniente tepidoque utendum; cataplasmata, vesicantia ad vicinas partes admovenda.

SPECIES COMPLICATÆ.

Utraque anginæ varietas cum febribus essentialibus et scarlatinâ complicari potest. Adynamia verò aut ataxia anginæ superveniens gangrænam generat; hinc lues oris gangrænosa.

GENUS.

Angina gutturalis tonsillas, velum pendulum, aut pharyngem occupare potest; hinc tumor, calor atque rubor interni oris, perceptibiles aut non; secretio muci primùm suppressa, mox adaucta et mutata; deglutitio impedita, molesta.

Angina laryngis aut asperæ arteriæ.

PRIMA SPECIES.

Angina laryngis aut asperæ arteriæ in adultis.

Causæ. Suppressio evacuationis solitæ; subita aëris frigidi impressio, æstuante corpore; inspiratio vaporum acrium.

Symptomata. Ab exordio, respiratio difficilis; vox acuta, sibilans; expectoratio nulla; dolor cervicis ingens; tussis rauca; pulsus parvus, debilis; summa anxietas; agitatio.

Diagnosis. Spiritus difficilis, vox rauca, dolor cervicis ad morbi cognitionem ducunt.

Prognosis. Suprà descripta anginæ species terminari potest resolutione, metastasi, suppuratione, ægri suffocatione, gangrænâ, phthisi.

1°. Resolutionem fieri indicant symptomatum imminutio, doloris mitigatio, vocis reditus ad statum naturalem.

2°. Morbus, ob mobilitatem sibi propriam, ad caput, thoracem vel abdomen migrare potest; indè varia symptomata pro variâ parte affectâ, et infausta vulgò prognosis.

3°. Suppurationem prænunciant morbi progressus ultra triduum aut septiduum absque resolutionis, criseos aut metastasis indicio; factam verò declarant horrores vagi, febricula, pulsatio partis affectæ, ruboris et doloris imminutio.

4°. Suffocatio metuenda est in homine robusto et plethorico, cùm morbus adeò acutus est ut omni medelæ resistat.

5°. Gangrænæ signa sunt deglutitio et respiratio faciliores, facies prostrata, terrea, extremorum frigus, pulsus parvus, debilis, inæqualis, oris fœtor, etc.

3°. Phthisim laryngis præsagiunt febricula perseverans, parva deglutiendi difficultas, faucium siccitas, doloris sensus circà superiorem sterni partem, respirandi difficultas inter ambulandum, vocis alteratio. Hanc verò præsentem manifestant febris hectica, dolor acutus tracheam vexans, puris exscreatio, tussis, summa deglutiendi difficultas, anxietas, macies, vox stridula; tandem diarrhoea, sudor colliquans pedumque inflatio ad ultima ventum esse prædicant.

Autopsia. Sectâ defunctorum cervice, inveniun-

tur ulcera ad linguæ basim, epiglottidem, glottidem, quandoque concretiones membranaceæ vel albuminosæ in laryngis sinubus, aut scirrhoma glandularum lymphaticarum.

Curatio. Æger animalium carnibus abstineat; jure vitulino, decocto hordeo, oryzâ, etc. utatur.

Sedanda sitis potu emolliente, leni, tepido, parcâ sed repetitâ dosi exhibito.

Cùm suffocatio inminet, sanguis illicò detrahendus est phlebotomiâ ad talum, brachium, jugulum, hirudinibus cervici appositis, cucurbitulis scarificatis. Prosunt etiam derivantia, nimirùm sinapismi, vesicantia inferioribus applicata, topica emollientia, et resolutiva ad cervicem, titulo cataplasmatis, fotûs, linimenti, etc.; quibus si resistat malum, tracheotomia instituenda est.

Si pars affecta suppurat, commendari solent gargarismata detersiva, licet raró ad puris fomitem perveniant.

Si jam gangræna existat, de ægro conclamatum est.

Si morbus ad alias partes migret attendendum quò natura vergit, ut opportunum feratur auxilium.

Denique si phthisi tabescat æger, medelam capere nequit.

SECUNDA SPECIES.

Angina infantum truculenta, vulgò crowp.

Causæ. Pueritia; autumnus; hiems; aëris vicissitudines; subita corporis refrigeratio.

Symptomata. Ab exordio, morbus levem mentitur catarrhum; elapsis verò duobus tribusve circiter diebus, vox fit acuta, stridula, clangosa, similis cantui pulli gallinacei; respiratio difficilis, sibilans; levis cervicis dolor; tussis rauca; expectoratio ab exordio nulla; mox viscida, limpida, tandem concreta, opaca, membranacea, albuminosa; pulsus parvus, debilis, intermittens; anxietas; agitatio; sopor; convulsio; abnormis phænomenorum remissio.

Diagnosis. Hæc anginæ species dignoscitur exploratis ægri ætate, anni tempore, et symptomatibus; epidemicè, sporadicè, et quibusdam in regionibus endemicè grassari potest.

Prognosis vulgò infausta. Morbus ille intra quatriduum quintiduumve finitur; rarò resolvitur; ægrotulos sæpè suffocat.

Curatio. Varia quidem à variis medicis remedia proponi solent; venæ sectio et emesis vicissìm laudatæ et proscriptæ sunt. Quodnam igitur tenendum iter?

Duplex obvia fit indicatio, alia impediendi generationem pseudo-membranæ vias aëriferas occlusuræ, alia mitigandi sensibilitatem membranæ quâ larynx et aspera arteria obvestiuntur.

Primus obtinebitur scopus, si stimulus à larynge detorqueatur, humorumque coïtus ad partes vicinas aut remotas derivetur. Quamobrem emesis illicò cienda est, sive ut ventriculus irritetur, sive ut mucosæ sordes, toto commoto corpore, è fistulâ

aeriferâ expellantur. Mox intestina catharticis aut purgantibus instimulanda sunt ; inferiora aquâ calidâ sæpè inungenda ; pars antica vel postica pectoris epispasticis vexanda ; omnia denique introrsùm aut extrorsùm adhibenda sunt quæ perversum, ut aiunt, naturæ genium perturbare valent.

Secundæ indicationi satisfaciunt antispasmodica. Ut igitur asperæ arteriæ mitigetur sensibilitas, cæterarumque partium spasmi sopiantur, ad topica anodyna confugiendum est : inspirandi vapores ætherei ; pars cervicis anterior oleo et aquâ vitæ camphoratâ simul unitis illinienda, opiove inungenda.

Quæ dùm ità geruntur, potus emollientes et leviter aromatici parcâ dosi dandi sunt.

SPECIES COMPLICATÆ.

Duæ species præcedentes cum febribus essentialibus, præsertim cum febre angiothenicâ, colluvie aut febre gastricâ, variolis confluentibus, anginâque tonsillari complicari possunt.

GENUS.

Morbus glottidem, laryngem, asperam arteriam et bronchia occupans : indè respirandi difficultas ; vox acuta, sibilans ; tussis rauca ; sensus doloris et ardoris in faucibus ; expectoratio primùm nulla, dein viscida, demùm opaca, densa ; deglutitio parùm vel nullatenùs impedita.

Catarrhus pulmonalis.

Causæ. Tempestas humida simùlque calida; flatus venti borealis; subitæ aëris vicissitudines; consuetudo caput nimiùm obtegendi.

Symptomata. Ab exordio, lassitudines spontaneæ; debilitas; torpor; stupor generalis; tussis et exscreatio materiæ mucosæ; respiratio frequens; oppressio; sensus ardoris in imis faucibus et bronchiorum divaricationibus; paroxysmi febriles frigore et calore vicissìm stipati, vespere recrudescentes.

Indè *diagnosis*.

Prognosis eò infaustior, quò intensiora symptomata; ætas quò decrepitæ propinquior.

Catarrhus autem pulmonalis per decem quindecimve dies durare solet; quibus elapsis, sputo albido, flavo, opaco, urinâ sedimentosâ aut hæmorrhagiâ nasali solvitur.

Apud senes, morbus ille in tussim chronicam indèque in phthisim mucosam vergere potest. Hanc autem prænunciat phlegmasia vias aëriferas frequenter vexans, præsertìm in homine lymphaticâ temperie prædito; vocis raucitas; tussis chronica; dyspnœa. Hanc verò factam indicant facies tumida; pedum inflatio; febris hectica, vespere recrudescens; sputa spumosa, sanguine striata, mucosa, viscida, albida, cinerea, puriformia; sudor aut diarrhœa colliquans; macies; oppressio ad motum levissimum.

Hanc denique confirmat *autopsia*. Sectis enim defunctorum cadaveribus, membranæ mucosæ pulmonales plerumque vitiatæ, ulceratæ, suppuratæ inveniuntur. Aliquandò tamen integræ apparent, ut liquet observatis illustr. *Bonet*, *Reid*, *Morgagni*, *Lieutaud*, *Portal*.

Curatio. Crescente et vigente morbo, prosunt antiphlogistica, diluentia, emollientia; juscula carnis vitulinæ cum syrupo papaveris erratici, hydromeli, oxymeli simplici; decoctum album Sydenhami; infusa borraginis, malvæ, althææ, tiliæ, sambuci florum, etc. julepi, linctus, etc.

Decrescente morbo, potus leviter tonici, alimenta boni succi, salubria hygienes auxilia, ambulatio aliave exercitatio felici cum successu adhibentur.

Si morbus in chronicum vergat, phthisi occurritur exutoriis et derivantibus.

Cùm autem phthisis adest, de ægro conclamatum est.

SPECIES COMPLICATÆ.

Catarrhus acutus cum febre gastricâ, adynamicâ vel gastro-adynamicâ complicari potest.

GENUS.

Tussis; expectoratio mucosa; sensus oppressionis; cephalalgia tussi ingravescens; febriles paroxysmi vespere aut nocte recrudescentes.

Quæ symptomata intrà dies aliquot dissipantur, vel ad phthisim vergunt.

Catarrhus sæpè epidemicè grassatur, tuncque cum variis febribus essentialibus complicari potest: aliquandò etiam ad peripneumoniam accedit, uti in epidemiâ quæ Parisiis grassabatur anno reipub. XI — 1803.

Phlegmasiae membranarum quae vias alimentarias obducunt.

Phlegmasia membranæ mucosæ ventriculi.

Causæ. Vis epigastro illata, ictu, contusione, etc.; abusus alcoholicorum; haustus aquæ frigidæ post exercitium vehemens; metastasis arthritica; cibi, potûs aut medicamenti usus post iræ impetum; venena ingesta.

Symptomata, 1°. *localia:* tensio epigastri; sensus ardoris, doloris acutissimi et plenitudinis in ventriculo; nausea; vomendi conatus.

2°. *Generalia:* summa anxietas; pulsus parvus, frequens; respirandi difficultas; sitis ardens.

Diagnosis. Morbus ille cum jecoris inflammatione ab incautis confundi posset; ergò attentè et ritè exploranda symptomata.

Prognosis. Gastritis acuta citò cursum absolvit; cùm autem ad summam periodum pervenit, plerumquè infausta est ex *Hoffmanni* observatis. Debilitas autem maxima, singultus, animi deli-

quium, convulsio, delirium, sudor frigidus, pulsus intermittens, extremorum frigus, mortem in limine adesse prænunciant.

Cùm autem ventriculi inflammatio parùm intensa est, in chronicam degenerare vel in scirrhum mutari potest.

In primo casu : ægri præcordiorum anxietate conqueruntur, vix spiritum trahunt, siti enecantur, cutem, linguam faucesque siccas habent, abnormi febre et epigastri dolore vexantur, spasmos atque dolores vagos in extremis patiuntur.

In secundo casu : morbus lentè progreditur; ventriculi functiones languent ac pervertuntur; ipsius structura mutatur : hinc tamen levis epigastri dolor, hypochondriam aliumve nervosum affectum simulans; mox vomitus; facies lurida, pallida, subviridis, retracta; tristitia; morositas; desperatio; cruciatus interni atrocissimi; macies; febris hectica; mors.

Autopsia. Secto defuncti cadavere, mucosa ventriculi membrana densa, crassa, dura, quasi lardacea, aliquandò erosa reperitur.

Curatio. Si morbus acutissimè sæviat, ad antiphlogistica confugiendum; sanguis illicò detrahendus; æger cibo abstinendus; sola tunc conferunt quæ emollire atque diluere possunt, aqua scilicet tepida saccharo syrupove condita; potus hordeaceus, decocta lini semina; infusum bismalvæ; solutio gummi arabici; lac, etc.; quæ omnia parcâ quidem, sed repetitâ dosi, propinanda sunt.

Si verò gastritis in scirrhum vergat, varia pro morbi gradu usurpanda medela. Cùm enim induratio recens et imperfecta est, æger tenui, parco, emolliente anodynoque cibo utatur; hâc arte miserorum vitam plures per annos productam fuisse constat. Cùm autem morbus inveteravit in corpore cacochymo, ità ut epigastri regio calore, pruritu, dolore cruciatuque vexetur, sola anodyna et narcotica solatium quidem, non curationem, afferunt.

Gastritis à veneno.

Causæ. 1°. Venena vegetabilia, quæ acria sunt, nimirùm quædam fungorum species, resinæ, etc.

2°. Animalia, ut ammoniacum liquidum, cantharides, etc.

3°. Mineralia, acida, alkalina, arsenicum, murias mercurii sublimatus, etc.

Symptomata. Anxietas ingens; sensus doloris et ardoris in regione epigastricâ; spirandi difficultas; nausea, vomitus; membrorum rigor; convulsio; extremorum frigus; pulsus parvus, abnormis; sudor frigidus; delirium; singultus; mors.

Diagnosis. Res sedulò exploranda est, imprimis cùm ad forensem medicinam spectat.

Itaque si homo perfectè sanus suprà recensitis symptomatibus post pastum subitò corripiatur, vitâque defungatur, magna indè oritur veneni suspicio.

Verùm si defuncti cadaver statim putrescat, at-

que foeteat; si saliva spumosa mixto cum sanguine ex ore naribusque distillaverit, murmurante abdomine, collapsis et alteratis oris lineamentis, capillisque defluentibus, maxima obtinetur veneni probabilitas.

Secto autem defuncti cadavere, si lingua, fauces, œsophagus, ventriculus et intestina tum tenuiora, tum crassiora, non inflammationis solùm sed etiam erosionis signa præbeant, quin tamen priùs extiterint dysenteria, colica, et acuta vel chronica intestinorum phlegmasia, venenum minimè dubitandum est.

Tandem, si experimenta chymica inter materias ventriculo contentas arsenicum aliudve quid mortiferum detexerint, quod cani exhibitum hunc subitò letho dederit, completa veneni acquiritur certitudo.

Cùm verò judices imperant ut hominum suspectâ morte peremptorum cadavera effodiantur atque à medicis perlustrentur, res non adeò facilè elucidari potest.

Tunc autem, si ventriculus nativum colorem retineat, subrubrisque maculis distinctus appareat; vel si ulcerum fundus et margines rubrum colorem referant, quædam haberi potest veneni suspicio aut probabilitas.

Sin autem ventriculus pallido, viridi lividoque colore induatur, et maculas ejusdem coloris præbeat, autopsiâ veritas detegi nequit, quandoquidem maculæ supradictæ totidem sunt putredinis effectus.

Curatio. Chymico-medici statim post acida ventriculo ingesta ad antidota recurrendum esse existimant; hinc terreas alkalinasve substantias, aquam saponaceam magnesiamque proponunt, ut acida neutra reddantur.

Verùm cùm ventriculus aut intestina humana mortarii vices gerere nequeant, illa curandi methodus periculi plena est, neque à morte liberat, præsertìm si interjecto quodam tempore adhibeatur. Acida enim mineralia, arsenicum et mercurius sublimatus adeò velocia sunt, ut, nisi protinùs obtundantur, obvia quæque organa corrodant.

Ergò mucosa atque emollientia largâ dosi propinare melius est, qualia sunt decoctum lini, infusum althææ, aqua tepida, solutio gummi arabici, lac, etc., quibus vomitio invitatur venenumque foràs expellitur, illitusve, siquid in primis viis remanserit, ità saltem debilitatur energia, ut vix mordere queat.

Potus aciduli vegetabilia venena obtundendi vim habere censentur.

SECUNDA SPECIES.

Diarrhœa seu catarrhus intestinorum.

Causæ. Acria ingesta, titulo veneni, cibi, medicamenti; variæ metastases; suppressio transpirationis; autumnus pluviosus; fistulæ intestinalis obstructio, intussusceptio, invaginatio, etc.

Symptomata. 1°. Si diarrhoea mucosa sit, mucus

alvo excernitur; ægri doloribus colicis vexantur, sensimque tabescunt. Cùm autem morbus in chronicum mutatur, membrana mucosa plerumquè ulceratur, cancrove exeditur.

2°. Si diarrhoea serosa sit, alvo excernitur brevi temporis intervallo serum copiosum, limpidum, liquidissimum; hinc macies subita, ut chronico morbo detentis.

3°. Si enteritis ab obstructâ intestinali fistulâ pendeat, ægri febre ingenti, acutoque dolore sæpissimè vexantur; quandoque tamen illa symptomata prorsùs exulant, morbusque pulsu debili, tensione abdominis, labiis lividis, errantibus et territis oculis, sitique ardente solum modò præsumitur.

Diagnosis. Summâ in explorandis symptomatibus attentione animique perspicaciâ opus est, ut vitetur error; mucosa quippe intestinorum membrana inflammatione corripi potest, quin certa et pathognomonica hujus morbi signa percipiantur. Præterea obtuso vix dolore conqueritur æger, licet intestina cancro exedantur.

Prognosis. Diarrhœa serosa mucosâ infaustior. Enteritis quæ ab obstructâ intestinali fistulâ pendet, omnium miserrima, sæpè lethalis; raro enim resolutione, sæpiùs verò suppuratione, scirrho cancrove terminari potest, ut autopsiâ comperitur.

Curatio. Utendum victu blando, tenui, tepido, aquoso, mucoso, nimirùm jusculis farinosis aut vitulinis cum ovi vitello, recenti lactis sero, oryzâ,

cremoribus hordeaceis, etc. clysmate anodyno; abdomini superimponenda fomenta, cataplasmata emollientia, etc.

TERTIA SPECIES.

Dysenteria.

Causæ. Subitæ aëris vicissitudines; aër calidus simulque humidus; quandoque æstas fervida et diuturna; hominum coacervatio in carceribus, navibus, nosocomiis; alimenta pravæ indolis; contagia.

Symptomata. Primâ periodo: commotionis sensus in transverso coli arcu; febris levis; lingua albida; flava; nausea; anorexia; vomituritio; alvus nunc obstructa, nunc liquida; tenesmus; dolor; calor acris et mordicans in podice.

Secundâ periodo: septimâ decimâve circiter die, dejectio liquida, turbulenta, carnium loturæ similis, nunc muco, nunc sanguine intertincta.

Tertiâ periodo: decimâ quartâ aut decimâ quintâ die, doloris mitigatio; tenesmi rariores; crassior alvi dejectio; tandem sanitatis reditus circa vigesimam aut vigesimam quintam diem.

Diagnosis. Dolor colicus, tenesmus atque febris concomitans peculiarem morbi indolem indigitant.

Prognosis. Dysenteria simplex rarò infausta est in integro juvenilique corpore, nisi perversâ aut intempestivâ medelâ pessundetur æger.

E contrario morbus ille curatu difficillimus est in hominibus senio confectis, atque morbis anterioribus aut intemperantiâ debilitatis.

Tandem alvus colliquans, ventris tormina, hæmatorrhœa, podicis ardor, sitis ingens fauciumque siccitas mortem non procùl abesse indicant.

Curatio. Primâ periodo, dandi sunt potus emollientes, mucosi : emesis juxta quosdam cienda practicos.

Secundâ periodo, prosunt laxantia, anodyna, nimirùm althæa infusa, serum lactis cum syrupo aliquo vel saccharo, etc.

Si æger agrypniâ et sævissimo dolore vexetur, narcotica avarâ quidem manu præscribenda sunt.

Tertiâ periodo, levia astringentia et tonica parcâ dosi exhibenda sunt, videlicet infusum absinthii, salviæ, satureiæ, etc.; rhabarbarum et cortex Peruvianus simul contrita, etc. quibus subjungenda alimenta boni succi coctuque facilia.

Si dysenteria in chronicam degeneret apud homines jam senio aut quâvis causâ confractos, vix medelam capit.

SPECIES COMPLICATÆ.

Dysenteria cum febribus essentialibus complicari potest; hinc dysenteria inflammatoria, biliosa, putrida, etc.

GENUS.

Hujus generis phlegmasiæ pendent à stimulo fistulæ intestinali illato; hinc excretio mucosa, serosa; dolor acutus; frequens desidendi cupiditas; tenesmus; dejectio materiæ sanguine intermixtæ.

Phlegmasiae membranae genito-urinariae.

Catarrhus vesicæ, cystitis.

Causæ, 1°. *internæ*: diuretica acria; abusus cantharidum; blennorrhagia vesicam vexans; suppressio transpirationis; retropulsio exanthematum.

2°. *Externæ*: calculus aliudve corpus externum in vesicam intromissum; sedendi consuetudo apud litterarum amasios; frequentior aut protractior specillorum introductio.

Symptomata. 1°. Si catarrhus sit acutus, dolor, ardor et tensio in regione hypogastricâ; mictus urens, noctu acrior; febris vespere exacerbata; vergente morbo, omnia symptomata mitigantur, urina sedimentosa redditur.

2°. Si catarrhus sit chronicus, dolor intolerabilis identidem hypogastrum perinæumque vexat; æger fit anxius, inquietus; urina mucosa redditur; mox dolor plures per hebdomades quiescit.

Autopsia. Secto defunctorum hypogastro, interna vesicæ superficies crassa, densa, inflammata, ulcerata aut suppurata reperitur.

Hinc *diagnosis*.

Prognosis. Catarrhus vesicæ, si acutus est, resolutione, suppuratione aut gangrænâ terminatur; unde faustus aut infaustus exitus.

In hominibus sedentariis, litteratis, præsertim si longævi sint, morbus in chronicum degenerare et ad mortem usque perennare solet.

Prophylaxis. Vitanda omnia quæ vesicam irritandi aut lædendi vim habent. Monendi sunt qui cum musis plurimùm se delectant, ut corpus identidem exerceant, sicque chronicis senii infirmitatibus occurrant.

Curatio. 1°. Si morbus acutus est, antiphlogisticis impugnandus, missione sanguinis, potu leni, emolliente, mox levi diuretico.

3°. Si in chronicum mutetur, plurimùm prodesse aquas minerales testantur *Tulpius* et *Henricus-ab-Heers*. Quidam medici uvam ursi lignaque nephretica laudant; alii verò potus lenientes, acidulos et leviter tonicos utiliores existimant.

Genus.

Phlegmasia membranæ mucosæ vesicam investientis, acuta vel chronica, continua aut intermittens; urina nunc limpida, nunc crassa, viscida, hypostatica.

Blennorrhagia seu gonorrhaea.

Causæ. Coïtus cum muliere impurâ; abusus cantharidum; acria diuretica; cerevisia; metastasis arthritica, herpetica.

Symptomata. Primo gradu: urethræ pruritus circa frænulum; mox illius orificii tumor, rubor, dolor; materiæ limpidæ aut sufflavæ distillatio; acerba membri virilis erectio; urina ardens.

Secundo gradu: inflammatio ad *Cowperii* glandulas usque progreditur; hinc urethræ tensio, renixus, dolor ad tactum levissimum; totius membri incurvatio.

Tertio gradu: prostatæ inflammatio; hinc ejus glandulæ tumor, dolor; urethræ deflexus; difficilis urinæ mictus.

Quarto gradu: morbus ad vesicam et ureteres pervenire potest; hinc varia symptomata, ardor hypogastri; lumborum gravitas, etc.

In mulieribus blennorrhagia afficere potest, 1°. partem vaginæ inferiorem, unde distillatio materiæ viridis aut sufflavæ; 2°. glandulas muciparas quæ urethræ orificium obsident; 3°. urethram, vesicam et viscera abdominalia; 4°. demùm, vulvæ oras, nymphas, et glandulas muciparas quæ ad posteriorem vulvæ commissuram spectant.

Diagnosis. Morbus apud mulieres sæpè cognitu difficilis est; nam cum leucorrhæâ ab incautis confundi potest. Prætereà pudor obstare potest quo-

minùs partes explorentur; sola igitur ægrarum confessio omne secludit errandi periculum.

Prognosis raró infausta: benigna enim resolutio intra viginti trigintâve dies circiter morbum claudere solet.

Aliquandò tamen apud senes qui Cypridis palæstram frequentant blennorrhagia in chronicam degenerat, blennorrhœæque nomen tunc sortitur.

Prophylaxis. Vitandæ causæ; fugienda imprimis publicarum meretricium diversoria, nequitiæ et corruptionis officinæ.

Curatio. Eadem ab omnibus non usurpatur curandi methodus. Alii enim astringentia per urethram injici præcipiunt, à primâ etiam mali origine. *Vide opera Benj. Bell.*

Alii verò diluentia, anodyna vel emollientia laudant. Quidam ad hydrargirum, veluti ad præcipuum remedium, confugiunt.

Blennorrhagiæ autem non secùs ac cæteris phlegmasiis medendum esse ratione atque experientiâ evincitur. Primâ igitur morbi periodo, cùm irritatio, tensio atque dolor muciparam urethræ membranam vexant, potus diluentes, mucosi et anodyni commendantur; quibus addi possunt cibi leves coctuque faciles, ne abstinentiâ debilitentur ægri.

Sedatâ verò primâ mali sævitie, largior cibi copia danda est, corpus exercitandum, quò citiùs integra redeat sanitas.

His præcipua volvitur curandi methodus, quæ

varia tamem esse debet pro ætate, sexu, ægri habitu, etc.

GENUS.

Urethræ in viris, vaginæ in mulieribus inflammatio ex concubitu impuro; hinc distillatio materiæ cujus varia quantitas et indoles.

Catarrhus uteri, leucorrhœa.

Causæ. Quæcumque salubribus hygienes legibus adversantur; vis utero illata, lapsu, ictu, arte obstetricante; veneris abusus; suppressio transpirationis, menstruorum, lochiorum; retropulsio exanthematis.

Symptomata leucorrhœæ acutæ. 1ª *periodo :* vulva leviter prurit; ægræ frequenti vexantur mingendi desiderio.

2ª *periodo :* tertiâ quartâve die, distillat è pudendo materia limpida, parca, mox copiosior, viridis, flava; genitalia rubent, dolent, calent, ardent; urina emittitur urens; hypogastrum, ilia, inguina, vulvæ labia, interfemineum femoraque graviter dolent; sæpè oritur febricula.

3ª *periodo :* decimâ aut decimâ quintâ die, mitigatis supradictis symptomatibus, materia fluit densa, flava aut alba, copiosissima.

4ª *periodo :* fluit materia modò limpida, modò densa, parca tamen, quæ per dies aliquot supprimitur, mox rursùm apparet, tandemque desinit

circa diem quadragesimam aut in chronicam mutatur.

Symptomata leucorrhœæ chronicæ : materia fluit nunc limpida, serosa, nunc è viridi flava, variæ densitatis et acritudinis : mulieres languent admodùm, pallent, frigent, minimè lasciviunt; neque venerem, neque cibum appetunt; motum aversantur; ipsarum genitalia pruriunt, dolent, ardent; uterus prolabitur.

Diagnosis. Mulier diu leucorrhœâ absque dolore laborare potest; quæ autem blennorrhagiâ vexatur, huic genitalia dolent, præsertìm si cum viris congrediatur : hinc inter utramque distinctio.

Fluor albus pure sanieve permixtus ulcus genitalium indicat.

Prognosis. Leucorrhoea simplex raró infausta.

Curatio. Leucorrhœa acuta antiphlogisticis, chronica verò tonicis impugnanda est. Mulieres autem eò faciliùs ad sanitatem redeunt, quò temperatiùs vivunt. Ab iis abstinendum est quæ hygienes adversantur legibus.

SPECIES COMPLICATÆ.

Leucorrhœa cum uteri morbis complicari potest, nimirùm cum polypo, fungo, prolapsu, inversione, scirrho, ulcere, cancro, itemque cum menstruorum suppressione aut anomaliâ, chlorosi, graviditate, diarrhœâ, convulsionibus; hinc varia symptomata, varia prognosis atque curandi me-

thodus, pro ætate, corporis habitu, loco, tempore, etc.

GENUS.

Phlegmasia membranæ mucosæ uterum aut vaginam investientis; hinc distillatio cujus causa generalis aut localis est, quæque varias habet qualitates sensibiles.

ORDO V.

Omnes membranæ mucosæ structurâ pares atque munere.

Juxta physiologos totidem sunt emunctoria per quæ nutritionis reliquiæ è corpore eliminantur.

Ipsarum autem sensibilitas adeò exquisita, ut stimulo quocumque irritentur; hinc mutantur earum proprietates vitales, variæque oriuntur phlegmasiæ quæ suas successivè periodos absolvunt.

1°. Hujus ordinis phlegmasiæ ab aëris vicissitudinibus generantur, ob mutuam quæ cutim inter et membranas mucosas existit sympathiæ relationem : hinc quædam sæpiùs epidemicè grassantur.

2°. Dolor quo comitantur illæ phlegmasiæ mitior quàm quo serosæ membranæ vexantur.

3°. Tensio eadem non est ac in cæteris phlegmasiis.

4°. Febris quoque minor est, aliquandò vix sensibilis.

5°. Denique copiosâ muci secretione solvuntur; vel in chronicos mutantur affectus; vel in cancrum

degenerant, ut in oculo, naribus, linguâ, œsophago, ventriculo, intestinis, vesicâ, utero, membro virili.

CLASSIS II. *Phlegmasiae.*

Phlegmasia acuta vel chronica systema cutaneum, serosum, cellulare, fibrosum, aut mucosum occupare potest; inde symptomata peculiaria seu individua.

Symptomata verò communia localia sunt et generalia.

1°. *Localia*: partis inflammatæ tumor, rubor, dolor, calor, tensio.

2°. *Generalia*: febris et dolor sympathicus cujus varia indoles pro partis affectæ fabricâ et munere, ægri habitu, etc.

Quæ symptomata sensìm crescere solent, posteà verò declinant aut in chronica mutantur.

Omnis autem phlegmasia resolutione, suppuratione aut gangrænâ terminari potest.

Scirrhus et cancer cutem, telam cellularem, membranas mucosas glandulasque solùm afficere possunt.

Phlegmasiæ cum febribus essentialibus complicari possunt; hinc prognosis infaustior, curatio difficilior.

TERTIA MORBORUM CLASSIS.

HÆMORRHAGIÆ INTERNÆ.

Illa morborum classis in tres dividitur ordines, quorum primus *menstruorum læsiones et anomalias*, secundus *hæmorrhagias utrique sexui communes, variisque vitæ temporibus cognatas*, tertius *hæmorrhagias à cordis vasorumque relaxatione complectitur.*

PRIMUS ORDO.

Menstruorum læsiones.

Menstrua lædi possunt, 1°. quia fluunt immodicè; hinc menorrhagia; 2°. quia penitùs supprimuntur; hinc amenorrhœa; 3°. quia vias affectant insolitas; hinc menstruorum aberratio.

Mulieres autem, cùm ad eam quæ critica nuncupari solet ætatem pervenerunt, à mensibus liberantur; sed deinceps affici possunt ærumnis quas statim subjungemus.

PRIMA SPECIES.

Menorrhagia.

Causæ. Vita otiosa; mensa opipara; abusus alcoholicorum, venereorum; solitæ hæmorragiæ suppressio; exercitatio vehemens; succussus in rhedâ,

fluentibus menstruis; terror; iræ impetus; affectus hystericus.

Symptomata, 1°. *prœvia:* tensio et tumor hypochondriorum; sensus gravitatis et compressionis in regione lumborum; extrema frigida; facies pallida; pulsus frequens; ardor internus; alvi obstructio.

2°. *Pathognomonica:* sanguinis fluxus solito major, cujus varia densitas variusque color.

3°. *Consequentia.* Anorexia; sensus gravitatis in regione epigastricâ; plumbeus faciei color; summa debilitas; pedum inflatio; leucorrhoea; hydrops.

Diagnosis. Causa, symptoma, ætas, cæteræque vitæ circumstantiæ ritè explorandæ sunt, ut morbus innotescere possit.

Toties autem adest menorrhagia, quoties menstrua largiùs, frequentiùs diutiùsve, quàm par est, erumpunt, mulieresque indè debilitatem aut infirmitatem contrahunt.

Aliquandò accidit ut muliebria morbos acutos solvant; tunc autem, cùm menorrhagia non morbus, sed crisis dici debeat, diagnosis è prægresso malo et consequente levamine derivatur.

Prognosis. Menorrhagia spontanea, absque uteri vitio, raró infausta, nisi immodica sit.

Cæteris autem in casibus, periculum eò majus imminet, quò graviori malo vexatur uterus, ægræ habitus quò pejor; victus quò immoderatior.

Curatio. Menstruis immodicè fluentibus, mulier statim lecto imponenda; quies animo et corpori con-

cilianda; removendæ culcitræ laneæ aut plumeæ; sanguis pro viribus, si opus est, brachio detrahendus; potu gelido, acidulo, leviter astringente, aquâ rabellianâ, oxycrato utendum; carnibus abstinendum; vires jusculis sustentandæ; lintea oxycrato imbuta hypogastro, lumbis, inguinibus feminibusque applicanda, imò in vulvam intromittenda.

SECUNDA SPECIES.

Amenorrhœa.

Causæ. Huic morbo prædisponunt causæ oppositæ; nunc quidem sanguineus, nunc verò lymphaticus aut nervosus corporis habitus; debilitas vel extenuatio corporis; exquisita uteri sensibilitas, vel inertia.

Hunc autem generant subita frigoris impressio; immersio pedum manuumve in aquam frigidam, fluentibus menstruis, præsertìm æstuante corpore; vehemens animi affectus; pavor, ira, amor infelix; veneris abusus; pervigilia.

Symptomata. Suppressis aut retentis menstruis, oriri possunt febres essentiales, phlegmasiæ, neuroses; morbi glandulares, lymphatici, cutanei, hæmorrhagiæ succedaneæ, etc. : indè varia et quasi numero infinita symptomata quæ, nisi impossibilia, saltem enarratu difficillima forent.

Diagnosis. Morbi cognitio è corporis habitu, ætate, vitæ genere, causâ effectuque producto deducitur.

Quædam juvenculæ, cùm ad pubertatis annum

pervenerunt, menstruorum retentionem patiuntur: hinc uteri dolor aut gravitas; tensio hypogastrii; lassitudo; motûs aversatio; dyspepsia; anorexia vel fames immodica; facies pallida aut viridis; corpus flaccidum; pedes tumidi; respiratio celer; cordis palpitatio; syncope; carebaria; dolor ad coxas, lumbos, dorsum. Tunc autem permagni refert genitalia explorare; præsertim investigandum est utrùm vaginæ uterive occlusio causa sit cur menstrua non erumpant.

Scire etiam oportet menstrua plerumquè supprimi in iis quæ utero gerunt: ergò cauti sint medici ne à mulieribus turpiter decipiantur; undique enim fraudes; undique incautis struuntur insidiæ. Sæpè contingit ut furtivâ venere gravidæ emmenagoga anxiè petant, morbosam suppressionem culpantes. Tali autem in casu, magno apparatu, innocua remedia præscribenda sunt, ne ullâ quidem indicatâ fraudis suspicione: hoc modo impeditur ne alios fortè medicos decipiant; intereà labitur tempus, atque certa et sensibus obvia graviditatis signa rem extra dubitationis aleam ponunt.

Prognosis. Mensium suppressio eò infaustior, quò vetustior; ægra quò repletior; symptomata quò intensiora; uterus quò morbosior. Hinc enim oriri solent viscerum obstructiones, cachexia, chlorosis, hydrops, cæterique morbi curatu difficillimi.

Curatio. Cùm menses ob frigoris impressionem aut terroris impetum subitò supprimuntur, mulier

pedes in aquam calidam pluries immergat, simulque potu leviter diaphoretico utatur. Quibus ità peractis, nisi menstrua redeant, vena secanda est; hirudines vulvæ apponendæ; hypogastrium fomento emolliente et quadantenus narcotico inungendum est.

Sanguinis exuberantia phlebotomiâ diætâque imminuenda est.

Affectus nervosi aspirato ammoniaco vel acido acetico, injectâ per anum assâ fœtidâ, potibus æthereis, camphorâ, opio, etc., sedandi sunt.

Vehemens pectoris oppressio, profundus sopor, etc., epispasticis levantur.

Cùm autem amenorrhoea in chronicam mutatur, uterinaque symptomata singulis mensibus recrudescunt, quo scilicet tempore menstrua fluere solebant, tunc prosunt hirudines, missio sanguinis, etc.; verùm nihil magis expedit quàm si integra restituatur sanitas, optima omnium organorum ac functionum reparatrix.

Corpus igitur anterioribus morbis, veneris abusu, nimio labore inopiâve debilitatum, quiete victuque valentissimo roborandum est.

Si menses in juvenculâ supprimantur ob impeditum cum amasio connubium, monendi sunt parentes, ut filiæ votis annuant; cùm autem ex legitimâ unione medela capi nequit, moderata corporis exercitatio, itinera, labor, ludi aliaque omnia præscribenda, quibus animus recreari, atque ab objecto quo occupatur, averti possit.

Electricitas à quibusdam practicis tanquàm præcipuum contra amenorrhœam remedium laudatur. Veruntamen, si absque cautelâ administretur, plurimum indè emergit incommodum; namque electricitas vires vitales erigit: hinc sanguinis acceleratio, vasorum turgescentia, faciei rubor, imò apoplexia, nisi præmittatur venæ sectio.

Ruta et sabina inter heroica recensentur emmenagoga; prudentes verò medici iis abstinendum parcâve dosi utendum esse existimant.

TERTIA SPECIES.

Menstruorum aberratio.

Causæ. Menstrua non aberrant, nisi retineantur aut supprimantur; ergò causæ aberrationis eædem sunt quæ suppressionis.

Symptomata. Suppressis aut retentis menstruis, sanguis vias innumeras affectare potest. Siquidem erumpere visus est per suturam sagittalem, oculi angulum, nares, aures, gingivas, pulmones, digitos, ulcera, etc. hinc varia phænomena. *Haller, Physiol.*

Diagnosis è prægressâ suppressione insolitâque eruptione deducitur.

Prognosis varia est pro vario corporis habitu, vitæ genere, etc.

Hæmorrhagia autem menstruorum succedanea eò pejor est, cæteris paribus, quò remotiorem ab utero viam sanguis affectat et organa ad quæ impel-

litur quò magis vitæ essentialia. Suppressis ergò menstruis hæmorrhoides tutiùs supplent quàm hæmoptysis aut hæmatemesis.

Deficientibus menstruis, superveniens narium hæmorrhagia, bonum. *Hippocr.*

Curatio. Menstrua ad solitam viam pristinamque normam revocari debent; quod quidem nunc facile, nunc perdifficile, nunc impossibile, si fides observatoribus. Plus autem huic indicationi satisfaciunt salubria hygienes præcepta quàm pharmaca. Insuper habenda ratio ætatis, corporis habitûs et vitæ generis.

GENUS.

Læsio menstruorum.

Nimius menstruorum affluxus, retentio, suppressio, aberratio.

Morbi quibus mulieres affici solent tempore, ut aiunt, critico.

PRIMA SPECIES.

Morbi locales.

Causæ. Menstrua abnormia; partus difficilis; veneris abusus aut continentia; vita otiosa; quodlibet peccatum adversus hygienes regulas.

Symptomata. Acuta vel chronica uteri phlegmasia; tumor in fibrosâ hujus visceris fabricâ; po-

lypus mucosæ membranæ adhærens; fluor albus; immoderata sanguinis emissio.

Diagnosis è causâ, symptomate, præsertim ætate derivatur.

Prognosis eò infaustior quò intemperatiorem mulieres vitam egerunt; uteri morbus quò gravior consequitur.

Prophylaxis. Mulieres sexcentas infirmitates averterent, si moderatè viverent, eaque diligenter observarent quæ ad naturæ et hygienes instituta quadrant.

Curatio varia esse debet pro vario morbo consequente. Acuta enim uteri phlegmasia antiphlogisticis et emollientibus lenienda est; polypus eradicandus; et sic de cæteris.

SECUNDA SPECIES.

Morbi generales.

Causæ innumeræ atque variæ sunt pro ægræ habitu, victu, constitutione individuâ, uteri sensibilitate, nec non imperio quo cæteras id organum œconomiæ functiones in potestatem suam redigit.

Symptomata varia sunt pro morbo consequente: hinc scilicet hysteria; hypochondria; convulsio, aut mania, cum caput afficitur; anomalia nervosa multiplex, si lædantur viscera abdominalia; denique affectus podagrici, rheumatici, paralytici, cutanei, ob uteri cum membris aut cute consensum.

Indè *diagnosis*, *prognosis*, atque *curatio*. Semper habenda ratio uterinæ sensibilitatis, constitutionis individuæ, etc.

GENUS.

Morbi locales aut generales: in primo casu uteri tumor aut scirrhoma, cancer; menorrhagia: in secundo casu, mala chronica.

ORDO I. *Læsiones aut anomaliæ menstruorum.*

Menstruorum anomaliæ omni loco et tempore observantur, sive erumpere incipiant, sive intermittantur, sive omninò fluere desinant.

Hinc, 1°. affectus utero proprii qui à læsâ uteri fabricâ mutatâve fluidorum inde emanantium naturâ pendent.

2°. Affectus generales numero infiniti, febres scilicet, phlegmasiæ diversi ordinis, hæmorrhagiæ, anomaliæ nervosæ, morbi lymphatici, etc.

Haemorrhagiae utrique sexui communes variisque vitaae periodis cognatae.

Hæmorrhagia nasalis, seu epistaxis.

Causæ. Corporis habitus sanguineus; adolescentia; victus lautus; potus alcoholici; nimia corporis exercitatio; vita otiosa; insolatio; acrior ad studium intentio; vehementia animi pathemata.

Symptomata, 1°. *prœvia* : refrigeratio extremorum ; faciei turgescentia, rubor, tensio, calor ; pulsatio temporum ; carebaria ; narium pruritus ; lassitudo ; dolor abdominis ; horripilatio ; urina pallida ; alvi obstructio.

2°. *Pathognomonica* : distillatio per nares sanguinis rosei, citò concrescentis.

Diagnosis è sanguinis colore, ægri ætate, habituque deducitur.

Prognosis. Hæmorrhagia narium critica et moderata, bona ; nam in febribus surditatem capitisque dolorem solvit. *Hippocrat.*

In feminis, deficientibus menstruis, bona.

Epistaxis autem frequens et copiosa in juvenibus et adultis plethoram indicat ; hinc metuendus in posterum sanguinis raptus ad organa vitæ essentialia, nimirùm encephalum et pulmones ; indè morbi periculosissimi, apoplexia, suffocatio.

In senibus hæmorrhagia narium habetur saluberrima ; attamen, testibus observatoribus, in apoplexiam, paralysim aliosque morbos vergere potest.

Activa narium hæmorrhagia citiùs aut imprudenter refrenata, pessima mala producere potest : hinc enim cephalalgia ; artuum dolores ; nephritis ; angina ; vertigo ; aurium tinnitus ; dyspnœa ; oppressio ; suffocatio ; hæmoptysis ; phthisis.

Curatio. Ad curandam narium hæmorrhagiam, medicus ægri habitum, ætatem vitæque genus respicere debet.

Itaque, pro re natâ, venæ sectione, epispasticis et narcoticis utendum est; quies imprimis corpori et animo concilianda.

Hæmorrhagia moderata, præsertim critica, sponte cessare solet; semper autem utilis est, nedùm nociva: ergò astringentia quæ sanguinem compescerent, medicatrici naturæ adversarentur.

Immodicus verò sanguinis fluxus potibus acidulis, topicis astringentibus, aut vasorum nasalium compressione compescendus est: oxycratum, aquamve gelidam sterno scrotove felici cum successu apposuere practici.

Sedatâ hæmorrhagiâ, vires, si langueant, juribus succi plenis reficiendæ sunt.

Hæmoptysis.

Triplex hæmoptysis species, prima quæ à pulmonum irritatione, secunda quæ à plethorâ generali, tertia quæ à nativâ prædispositione oritur.

Causæ, 1æ *speciei*: aspiratio vaporis acris, ut in officinis, ubi acida conficiuntur; vestimenta pectus constringentia; cantus; clamor; declamatio vehemens; extremorum frigus; nuncia injucunda et inopina.

2æ *speciei*: mensa nimis lauta; alimenta calefacientia; potus alcoholici; otium; membri resectio; imminutio, interruptio aut cessatio hæmorrhagiæ; consuetæ phlebotomiæ suppressio; ætas adulta.

3ᵆ *speciei :* Corpus gracile ; cervix elongata ; pectus complanatum ; scapulæ alatæ ; irascibilitas ; sensibilitas exquisita.

Symptomata, 1ᵆ *speciei :* levis extremorum refrigeratio ; spiritus difficilis ; sensus congestionis in pulmonibus ; ardor pectoris ; exscreatio sanguinis rosei.

2ᵆ *speciei :* levis extremorum refrigeratio ; quandoque horripilatio ; tussis ; sensus ebullitionis, fervoris et gravitatis in pectore ; cephalalgia ; malarum calor, rubor ; exscreatio sanguinis rutili, spumantis.

3ᵆ *speciei :* tussis sicca, molesta ; anorexia ; sensus irritationis et caloris in pulmonibus ; exscreatio sanguinis muco permixti. Morbo autem progrediente, macies ; febris hectica ; tabes ; mors.

Diagnosis. Causæ et symptomata supradicta ritè explorari debent, ut singulæ species ab invicem secernantur.

Prognosis. Hæmoptysis eò infaustior, quò causa gravior ; symptoma quò pejus et intensius : omnium autem miserrima quæ à parentibus in sobolem transmittitur.

Curatio varia est pro causæ varietate.

1°. Si morbus ab irritatione locali pendeat, stimulus foràs expellendus, saltemve leniendus.

Expellitur frictionibus, epispasticis, etc.

Lenitur victu emolliente, corporis et animi, imprimis pulmonum quiete, etc.

2°. Si nimia sanguinis redundantia culpanda sit, venam secare oportet; dandi potus aciduli, refrigerantes; cibo tenui, blando ac laxante utendum est.

3°. Si exquisita sensibilitas aut irascibilitas sanguinem moveat, quies animo concilianda, fugiendaque omnia quibus iram aliave animi pathemata excitandi vis inest.

4°. Hæmoptysis hæreditaria plerumque in phthisim vergit, vixque medelam capit: tunc æger ab omnibus abstinere debet quæ irritare valent, baccho scilicet, venere, motu vehementiori, aromatibus, etc. Plurimùm verò, si non ad sanationem, saltem ad levamen conferunt lactaria, emollientia, ludi recreantes, levis exercitatio, equitatio per vias tritas, gestatio in lecticulâ, navigatio cum placidum ventis stat mare.

Sanguine autem erumpente, cautè vitari debent astringentia acida, aqua scilicet rabelliana, vel astringentia terrea et stiptica, ut alumen. His enim remediis produceretur pulmonum congestio, inflammatio, tabes, etc.

GENUS.

Exscreatio sanguinis spumosi, rutili; tussis; signa congestionis aut irritationis in pulmonibus.

Hæmatemesis.

Duplex hæmatemesis species, alia quæ ab accidente producitur, alia verò quæ *melæna* seu *morbus niger* nuncupatur.

Causæ, 1æ *speciei :* vis epigastro illata; substantia nociva medicamenti aut veneni titulo ingesta; immersio extremorum in aquam frigidam, suppressio vel cessatio menstruorum; interruptio hæmorrhagiæ consuetæ; iræ impetus.

2æ *Speciei :* febris acuta, continua vel intermittens, cum læsione viscerum abdominalium; vehementia animi pathemata; terror; mœror ingens; suppressio hæmorrhagiæ solitæ; nocivum quidquid ingestum; vomitoria vel cathartica intempestivè adhibita.

Symptomata, 1æ *speciei :* dolor profundus, aliquandò pungens in hypochondrio; extremorum refrigeratio; sensus oppressionis circà epigastrum; aliquandò syncope. Quibus ità præmissis, sanguis ruber, nigrescens et grumosus vomitu expellitur.

2æ *Speciei seu mælenæ :* cardialgia; anxietas ingens; pallor; summa debilitas, aut syncope; pertinax alvi obstructio; extremorum refrigeratio; mox caloris reditus; pulsus velocior; sanguinis atri vomitus, pluriès aliquandò repetitus, deinde periodicè recurrens.

Diagnosis. Utraque morbi species causis et sym-

ptomatibus suprà memoratis innotescit et ab hæmoptysi secernitur.

Prognosis. Hæmatemesis rarò infausta, nisi immodica sit vel à gravissimâ causâ oriatur, nimirum vulnere arteriæ coronariæ inflicto, aneurysmatis rupturâ.

Melæna verò infaustior est ob graves quibuscum sæpè complicatur morbos, cruentum scilicet alvi fluxum, hypochondriam, melancholiam, etc.

In feminis ætatem, ut aiunt, criticam assequentibus, minùs habet periculi.

Curatio. Statìm atque sanguis vomitu rejicitur, æger lecto resupinetur; ab omni motu, loquelâ aut mentis agitatione abstineat; solâ aquâ vitulinâ aliove jusculo utatur, vires sustentandi causâ.

Quibus ità peractis, si vomitus sanguinis adhuc perseveret, ejus investiganda causa, atque apto remedio impugnanda. Itaque, si plethora culpanda sit, vena secanda est; si menstrua aut hæmorrhoïdes supprimantur, saphena pertundenda, hirudines vulvæ aut podici apponendæ; dandi potus aciduli, mucosi, refrigerantes, anodyni, etc.

Sedato autem sanguinis vomitu, æger reficiendus est cibo succi pleno, cremoribus hordei, oryzæ, etc. carnibus juniorum animantum præsertìm elixis, lactariis, etc.; vitanda verò alimenta calefacientia, vinum, exercitatio, vociferatio, etc.

Cùm æger melænâ vexatur, blando lenique cibo nutriendus est; dandi potus aciduli; alvus clysmate

emolliente ducenda; mox levis cienda catharsis ope tamarindorum aut cremoris tartari (tartritis aciduli potassæ).

GENUS.

Sanguinis vomitus qui accidente, vehementibus animi pathematibus, morbo acuto, aut viscerum læsione producitur.

Hæmaturia.

Duplex hæmaturiæ species, alia nempè accidentalis, alia verò senilis.

Causæ, 1æ *speciei :* corporis habitus plethoricus; bacchi aut cantharidum abusus; equitatio vehemens; vis renibus illata, lapsu, nixu, etc.

2æ *Speciei :* ætas provecta; suppressio hæmorrhoïdum, menstruorum, phlebotomiæ consuetæ; cibus immodicus; vita otiosa vehementi motu interrupta.

Symptomata hæmaturiæ accidentalis varia sunt pro variâ causâ.

1°. Si à plethorâ nimiâve equitatione pendeat, sanguis copiosus et sincerus subitò redditur; mox per intervalla profluit absque dorsi doloribus.

2°. Si remediorum lithontripticorum abusus sanguinis mictum promoveat, dolor et hæmorrhagia positâ causâ ponuntur, sublatâ verò tolluntur.

3°. Si quis cantharidibus abutatur, huic genitalia ardore et urente priapismo vexantur.

4°. Si lapsu ictuve cystis contusa fuerit, pars affecta vehementer dolet.

Symptomata hœmaturiœ senilis. 1°. Si sanguinis coagula ureteres obstruant, urina supprimitur vel ægrè mingitur: inde anxietas; manus frigidæ; lumborum dolor; nullum à specillo solatium.

Si autem cystidis orificium sanguinis coagulo obturetur, urina in ejus cavitate accumulatur: hinc frequens mingendi desiderium; perinæi ardor; tenesmus; dolor punctorius in extremo cole; alvi obstructio; aliquandò circa pubem pruritus; distractio vel pressio partium internarum quæ tussi, motu et sternutatione exasperatur.

Diagnosis. Causæ, ægri habitus, ætas, vitæ genus, atque symptomata tùm præsentia, tùm præterita ritè exploranda sunt, ut morbi species elucidetur.

Cùm autem urina subobscurum colorem refert, hunc à sanguine mutuari comperitur, 1°. si sanguinis coagulum in matulâ subsideat; 2°. si urina turbulenta remaneat; 3°. si lintea rubro colore tingat; 4°. demùm, si calefactâ urinâ sanguinis coagulum iterùm non dissolvatur.

Urina autem cum sanguine aut pure reddita renum aut vesicæ ulcerationem indicat.

Urina sanguinem habens et grumos, si adsit stranguria et dolor in imo ventre, pube et perinæo, notat partes circa vesicam laborare. *Hippocrat.*

Urina cruenta, si arenulæ subsideant, lumbique

dolore vexentur, calculum ingentem aut echinatum ureteribus inhærere significat.

Prognosis. Hæmaturia in juvenibus eò infaustior quò causa gravior.

Hæmaturia senilis, omnium pessima.

Astringentia imprudenter admissa, sanguinem refrenandi gratiâ, varia spasmorum genera, hydropem, renum ulcera, phthisimque generare possunt.

Curatio. 1°. Si parca sanguinis copia mingatur, sola sufficit vis naturæ medicatrix, remotis tamen omnibus quæ organa uropoietica stimulare possunt; quies corpori concilianda; utendum victu tenui, blando.

2°. Si verò hæmaturia sit immodica, compescenda est; tunc autem prosunt venæ sectio, abstinentia, refrigerantia, oxycratum ad pubem, lumbos femoraque applicatum, etc.

Cæterùm medela totuplex quotuplex causa: hinc hæmaturia ex abusu cantharidum, potu emolliente et camphorato vincitur; hæmaturia ex calculo, potu mucoso, balneo, tandemque, datâ occasione, cystotomiâ sanatur.

GENUS.

Eruptio sanguinis liquefacti vel coagulati per vias uropoieticas, fortuito casu aut senili prædispositione producta.

Hæmorrhagiæ passivæ.

Plura passim apud auctores leguntur epistaxis, hæmoptysis, hæmatemesis atque hæmaturiæ exempla absque ullo virium vitalium incremento, quæ proinde inter hæmorrhagias, ut aiunt, passivas recensenda sunt; quin etiam sanguinem sive per telæ cellularis loculos penetrasse, sive per cutis aut serosi systematis spiramina passivè distillare visum est.

Veruntamen pauciora extant observata quàm quæ sufficiant ut hæmorrhagiæ passivæ in species et genera distribuantur.

Præterea quædam hujus generis hæmorrhagiæ potiùs symptomaticæ quàm idiopathicæ; quædam etiam adeò incertis et æquivocis manifestantur signis, ut nihil indè præter dubium emergere possit.

Omissis igitur quæ ad species pertinent, hæmorrhagias passivas generatim considerabimus, atque adumbrare conabimur.

Causæ prædisponentes. Temperies lymphatica; constitutio debilis; ætas jam provecta; organica viscerum læsio; lactatio diù protracta; manustupratio.

Causæ efficientes. Quæcumque corpus ità debilitant, ut vasa exhalantia sanguinis impulsui resistere nequeant, videlicet aër humidus simul et calidus aut frigidus; morbi longissimi; febres adynamicæ; scorbutus; hydrops; tristia animi pathemata.

Symptomata. Hæmorrhagiæ passivæ neque vitæ incremento aut inæquali caloris distributione, neque pruritu aut locali congestione prænunciantur.

Sanguis autem non impetuoso sed quieto lapsu fluit : hinc faciei pallor ; pulsus debilis ; lipothymia ; aurium tinnitus ; virium defectus aut labefactatio.

Diagnosis. In hæmorrhagiâ activâ vitale principium viget, languet in passivâ ; inde facile discrimen.

Prognosis. Hæmorrhagia passiva eò infaustior, quò major ægri debilitas ; ætas quò provectior ; corporis habitus quò infirmior.

Curatio. Vires sustentandæ vel refocillandæ sunt alimentis boni succi, carnium juribus, medicamentis tonicis, exercitio, cæterisque omnibus quæ sanitatis integritatem restituere valent.

Scorbutus.

Causæ. Debilitas ab anterioribus morbis ; corporis defatigatio ; otium perenne ; frigidi humidique aëris impressio ; inopia ; alimenta pravæ indolis ; vestes humidæ corpori diutiùs applicatæ ; corporis illuvies.

Symptomata 1ª *periodo :* facies pallida, sublivida ; lassitudo generalis, atque debilitas ex motu levissimo ; dolores vagi ; tristitia ; motûs et exercitii aversatio ; corporis segnities ; gingivarum tumor

atque rubor; maculæ flavæ vel ecchymoses crura aut femora deturpantes; quandoque petechiæ.

2ª *periodo :* facies flava, tumida; vagi et quasi rheumatici dolores, imprimìs genua lumbosque vexantes; epistaxis, hæmoptysis aut hæmatemesis; ulcera quorum margines duri, lividi, violacei.

3ª *periodo :* summus animi defectus; hæmorrhagiæ copiosissimæ; musculorum tumefactio, quasi dissolutio; sanguinis effusio in quasdam telæ cellulosæ partes; syncope.

Diagnosis. Morbus gingivarum fungositate, oris fœtore, maculis rubris aut lividis, pulsuque debili, lento, innotescere solet.

Prognosis. Scorbutus eò infaustior quò provectior; æger quò infirmior; ætas ejus quò senio propinquior; vita quò tristior; habitatio quò humidior; cibus quò vapidior.

Prophylaxis vitandæ causæ morbo faventes; carnibus putrefactis aut facilè putrescentibus abstinendum; conciliandа animo hilaritas; corpus exercere, ruri esse, vinum bibere meracum expedit.

Navarchi aliique classium præfecti ad imitandum sibi proponere debent exemplum celeberrimi *Cook* qui immensas Oceani plagas diu peragravit, illæsis nautis cæterisque maritimi itineris comitibus. Summam autem vir ille percelebris indè percepit utilitatem ad scorbuticam luem arcendam, quòd naves accuratè mundaret, laboris otiique vices æqualiter

distribueret, ne corpora nimium debilitarentur, alimentis recentibus aut ritè conservatis uteretur, vestimenta sæpè mutanda curaret.

Curatio. Si practicis fides, scorbutus alimentis boni succi, usu vegetabilium exercitioque tutissimè debellatur.

In primâ et secundâ periodo vegetabilia acria, ut aiunt, crucifera, in tertiâ fructus horæi aciduli summoperè prodesse observantur.

Oris ulcuscula detersivis acidoque muriatico sufficienter mitigato sanantur.

Crura, cum intument, linteis vino acetoque imbutis ungenda sunt.

Hæmorrhagia copiosior acido sulfurico ad gratam usque aciditatem mitigato refrenanda est.

Fungi et ulcera fœtida stimulantibus ad cicatricem perducuntur.

ORDO II. *Hæmorrhagiæ utrique sexui communes*.

Sanguinis eruptio ex omnibus cavitatibus quarum superficies interna mucosis membranis obducitur; hinc epistaxis, hæmoptysis, hæmatemesis, hæmaturia, etc.

Hæmorrhagiæ activæ horroribus vagis, spasmis, inæquali caloris distributione, partis quâ sanguis erupturus est, pruritu aut irritatione, congestione locali, extremorum refrigeratione præsagiuntur.

Has autem insequitur debilitas eò infaustior quò major effluit copia sanguinis.

Hæmorrhagia moderata et periodica millenas ærumnas avertere et sanitatem conservare vel restituere potest.

Hæmorrhagia verò subitò aut intempestivè suppressa alios morbos creare solet; indè hæmorrhagiæ succedaneæ, languor, macies, etc.

Hæmorrhagiæ passivæ paucioribus et obscurioribus exemplis innotescunt quàm ut in nosographicâ methodo intercalari queant.

Haemorrhagiae internae à vasorum dilatatione.

Hæmorrhoïdes.

Duplex hæmorrhoïdum species, alia scilicet ab accidentibus, alia verò ab ingenitâ constitutione.

Causæ 1ᵃ *speciei :* vita otiosa; victus immodicus; iræ impetus; mechanica vasorum compressio, ut in gravidis; purgantium abusus; alterius hæmorrhagiæ suppressio.

2ᵃ *speciei :* constitutio athletica, plethorica; bacchi abusus; senectus; tristitia; melancholia; hypochondria; crebrior sanguinis missio; abusus potûs calidi, nimiùm laxantis.

Symptomata 1ᵃ. *speciei :* sanguinis distillatio absque præviis aut comitantibus dolore, lassitu-

dine, gravitate; mox debilitas major aut minor pro copiosiori parciorive sanguinis effluxu.

2ª *speciei* : præire aut concomitari solent dolor, gravitas, sensus pressionis in dorso, lumbis; aliquandò inferiorum stupor, horrores externi, pallor, pulsus durus et strictus, oris fauciumque siccitas, urina parca, rara; flatus, mucosæ et albæ dejectiones; mox sequuntur hæmorrhagia major aut minor, debilitas, etc.

Indè *diagnosis* ; causæ potissimùm atque symptomata exploranda sunt.

Prognosis. Hæmorrhoïdes melancholicis et nephreticis bonæ, maniam solvunt. *Hippocrat.*

Hæmorrhoïdes quasi ex consuetudine fluentes, si improvidè supprimantur, ventris tormina, hydropem, tabem, insaniam aut apoplexiam generant.

Prophylaxis. Ut hæmorrhoïdibus earumque sequelis occurratur, nimiùm non est baccho et gulæ, somno et quieti indulgendum; corpus exercitandum; alvus sæpiùs ducenda.

Curatio. Hæmorrhoïdes fortuitæ diætâ et potu laxante curantur.

Varia autem pro variâ causâ medela usurpari debet. Quamobrem, si morbus ab alvo nimiùm durâ pendeat, laxantia summoperè prosunt. Tunc verò, si ani margines doleant atque tumeant, in aquâ dulci desidendum est, et locus fovendus ovis : imponendi vitelli cum rosæ foliis ex passo

subactis ; idque, si intùs est, digito illinendum ; si extrà, super panniculum illitum imponendum est.

Cùm verò anus procidit, intùs reponendus est, atque monendus æger ne validiori nixu fæces expellat ; supinus recumbere debet, partesque vicinæ illinendæ sunt aquâ salsâ malicoris incoctâ, vini fæce, etc. Vide apud *Celsum, de re medicâ.*

Si nimia fuerit sanguinis redundantia, minui debent ingesta, augeri excreta.

Cùm autem ob nimium sanguinis fluxum metuendus est morbus gravissimus, nimirùm hydrops, leucophlegmatia, ad astringentia et refrigerantia recurrendum est.

Cùm hæmorrhoïdes improvidè supprimuntur, hirudines ano apponendæ, ut insaniæ vel apoplexiæ occurratur.

GENUS.

Sanguinis per anum effluxus fortuitus, aut constitutioni inhærens et periodicus ; unde varii affectus sympathici et generales.

Haemorrhagiae ex cordis et aortae aneurysmatibus.

Absit ut in dubium revocentur organicæ cordis et aortæ læsiones, quandoquidem ab illustriss.

Valsalva, *Morgagni* aliisque compluribus boni nominis observatoribus memorantur; verùm plura adhuc desiderantur exempla ut ex illis eruantur symptomata cuilibet speciei propria. Nunc externa tantùm recenseri possunt signa quibus indicantur cordis et aortæ aneurysmata.

Causæ. Nimia corporis exercitatio; equitatio vehemens; nixus ingens; tussis convulsiva; menstruorum anomaliæ; ossea cartilaginosave cordis valvularum aut aortæ densitas; concretio polyposa.

Symptomata cordis aneurysmatum 1ª *periodo:* levis palpitatio; dyspnœa; sensus oppressionis post motum levissimum; terriculamenta in somnis.

2ª *periodo:* crebrior et major palpitatio; varia pulsûs norma, pro variâ organi læsione; summa respirandi difficultas, præsertim cùm advesperascit; tussis; expectoratio difficilis; labia prominentia, livida; suffocatio; mors ob subitam sanguinis eruptionem.

Symptomata aortæ aneurysmatum. Motus plerumque ad aortæ arcum ingens, arteriarum pulsui isochronus; vergente morbo, costarum, sterni aut spinæ erosio; tumor extrorsùm prominens; oppressio; dolor acutus.

Diagnosis. Morbi signa, cùm ad spinam vergit, maximè dubia.

Cæterùm varia sunt phænomena pro variâ tumoris sede, mole et dimensione.

Cordis et aortæ aneurysmata cum pulmonum affectibus à medicis etiam peritissimis confundi possunt: indè liquet quanta sit in explorandis horum morborum symptomatibus adhibenda cautela.

Prognosis. Eò infaustius aneurysma, quò amplius; tunc enim ruptura propinquior.

Cùm ad secundam periodum morbus pervenit, de ægro conclamatum est.

Curatio. Morbus ille raró medelam capit. Valsalvianam tamen methodum feliciter adhibitam fuisse, ineunte præsertim morbo, non unicâ comprobatur observatione.

Licet autem ægrorum salus penè desperanda sit, ipsorum vita nihilominùs aliquandiù prorogari potest missione sanguinis, victu tenui, emolliente, sedante, etc.

Affectus generales propriam cordis læsionem indicantes.

1°. Palpitatio cordis ingens, nec tumultuosa; pulsus abnormis, lentus, fremens, durus, auctam cordis, præsertim dextri ejus ventriculi, molem indicant. Tunc verò neque facies neque labia livescunt.

2°. Cordis amplificatio, ejusque parietum extenuatio, præsertim cùm dexter ventriculus afficitur, præsumi solent crebrâ palpitatione, tumul-

tuoso sed mitiori cordis subsultu, jugularium turgescentiâ atque motu, pulsu debili, exili, abnormi, frequenti animi deliquio, dyspnœâ et suffocatione inæqualia per intervalla recurrentibus.

3°. Cordis atque vasorum indè emergentium valvulas organicâ læsione laborare indicant palpitatio vehemens, præsertim cùm sinister ventriculus afficitur, pulsus intermittens, exilis, debilis, abnormis; difficilis aut impossibilis resupinatio; labia livida; sæpè universalis leucophlegmatia, cùm ad extrema ventum est.

CLASSIS III. *Haemorrhagiae internae.*

Hæmorrhagia interna dicitur, cùm sanguis ex aliquâ mucipari systematis parte erumpit.

Porrò sanguis erumpere potest, 1°. è membranis gastro-pulmonalibus; hinc epistaxis, hæmoptysis, hæmatemesis.

2°. E membranis genito-urinariis; hinc menorrhagia et hæmaturia.

3°. Sanguis etiam, raró tamen è seroso, cellulari cutaneove systemate distillare observatur.

Hæmorrhagia autem in activam et passivam dividitur.

Activa est quæ febrili motu et locali congestione prænunciatur, in qua sanguis erumpit rutilus et citò concrescens, quamque varii pro affectâ parte consequuntur effectus.

Passiva nuncupatur, cùm sanguis ultrò distillat, ut in scorbuto laborantibus.

His subjunguntur hæmorrhagiæ à nimiâ vasorum distensione, nimirùm hæmorrhoïdes, cordis et aortæ aneurysmata.

QUARTA MORBORUM CLASSIS.

NEUROSES.

Illa morborum classis in tres distribuitur ordines, quorum primus *vesanias*, secundus *spasmos*, tertius *anomalias nervosas locales* commplectitur

PRIMUS ORDO.

Vesaniae.

Vesaniarum ordo quinque genera continet, nimirùm *hypochondriam*, *melancholiam*, *maniam*, *somnambulismum* et *hydrophobiam*.

Hypochondria.

Duplex hypochondriæ species, alia simplex, alia cum viscerum abdominalium læsione complicata.

Causæ 1ª *speciei* : hæmorrhoïdum suppressio ; menstruorum anomaliæ vel cessatio ; pharmacorum, præsertìm narcoticorum abusus ; intemperantia ; studia acerrima ; labor ingens in otium subitò mutatus ; venus effrenata ; tristitia, terror, etc.

2ª *speciei* : enteritis chronica ; ventriculi aut intestinorum scirrhus ; lienis inflatio ; hepatis obstructio ; uteri vel pancreatis ulcera.

Symptomata 1°. *Hypochondriæ simplicis*. Tensio et identidem ventriculi intestinorumque inflatio ; nausea ; anorexia vel ingluvies ; sensus gravitatis in ventriculo post pastum ; ructus acidi ; vagi crassioris intestini dolores ; borborygmi ; alvus modò cita, modò obstructa ; quandoque urina multa, limpida ; spasmica pectoris constrictio ; dyspnoea ; cordis agitatio ; cephalalgia ; vertigo ; aurium tinnitus ; exspuitio frequens ; tandem sollicitudo, anxietas ; mœror ingens ; diffidentia suspicacissima ; terror sine causâ.

2°. *Hypochondriæ complicatæ*. Varia pro diversâ viscerum læsione phænomena : nunc enteritis chronica ; nunc cancerotica ventriculi, pancreatis, jecoris, lienis, intestinorum uterique ulcera perpetuò et immaniter sævientia ; varia cæterùm hypochondriæ symptomata.

Diagnosis. Prima species per paroxysmos exacerbatur ; hinc ab alterâ distinguitur in quâ læsa abdominis viscera perpetuo dolore cruciantur.

Icterus autem adauctaque jecoris moles organicam ejus visceris læsionem indigitare solent.

Dolor hypochondrium sinistrum vexans, simulque tumor et renixus ejusdem lateris, lienis vitium indicant.

Perobscura pancreatis ulcera.

Prognosis. Hypochondria simplex eò infaustior et pertinacior, quò vetustior ; ætas ægri quò provectior ; animus ad tristitiam quò propensior.

Hypochondria verò complicata vix medelam capit : miserrimâ plerumque morte finitur.

Curatio. Primæ viæ, cùm impurâ colluvie sordent, purgandæ; si sanguis redundet, mittendus est.

Quibus ità præmissis, ad hygienes præcepta quolibet certè pharmaco meliora confugiendum est; corpus moderatè exercendum ambulatione, equo, rhedâ, navi, etc.; animus ab acerbâ re quâcumque avertendus, ludo vel amicorum consortio recreandus.

Cùm autem abdominis viscera gravi morbo laborant, nimirùm ulcere, scirrho, cancro, etc., levissimo tantùm et innocuo remedio utendum est juxta vetus adagium: *semper prodesse, nunquàm nocere.*

Genus.

Spasmi varia corporis loca vexantes, molesti flatus, ægritudines animi seu mala imaginaria.

Melancholia.

Melancholia duplex; alia scilicet in quâ mens unico et eidem objecto pertinaciter adhæret, alià verò quæ cum propensione ad suicidium existit.

Causæ 1ª *speciei :* ingenita constitutio; veneris abusus; narcotica; vita otiosa; studia intensissima; hæmorrhagiæ solitæve phlebotomiæ suppressio; mœror gravis.

2ª *speciei :* præter jam memorata, vitæ tædium

ob valetudinis infirmitatem; impotentia ex veneris abusu; acrior de obeundo munere intentio; exagerata vitæ miseriarum conceptio; superstitio; acrior futuræ beatitudinis æmulatio.

Symptomata 1æ *speciei :* si causa sit ingenita, ægri permacro sunt corpore, oreque livido; tristem, morosum atque irascibilem gerunt animum; motum aversantur; segregem vitam ducunt; omnibus diffidunt; cuncta suspicantur; subdolos habent oculos; eventus omnes perperàm interpretantur; sine causâ terrentur; somnum non capiunt; terriculamentis excitantur.

Cùm autem melancholia acquisita est, mens insana fit; nunc lætitiâ exultat, nunc mœrore perfunditur; unicâ penitùs occupatur idæâ : hinc erotomania, lycanthropia, cynanthropia, laganthropia, panophobia, dæmonomania, nostalgia, furor fanaticus, superstitio, etc.

Utrique verò suprà descriptæ varietati commune est quod ægri nauseâ, anorexiâ, malaciâ, agrypniâ, flatu borborygmoque vexentur.

2æ *speciei :* ægri despondent animum; secum de mortis genere consultant; solitudinem quærunt, suicidium meditaturi; aliàs mortem appetunt vitæ pertæsi, atque sibi conscii quod vitæ muneribus defungi nequeant ob ingenii hebetudinem; aliàs verò cædibus se cruentare gestiunt, ut priùs de scelere confessi quàm supplicio afficiantur, felicitatem mereantur æternam.

Diagnosis. Melancholia suis innotescit symptomatibus : pertinax in unico objecto delirium, nullaque vel indifferens ad cætera inclinatio ut signum habentur pathognomonicum.

Ex *Hippocrate*, melancholiæ gignuntur vere, autumno, præsertim aquilonio et sine pluviis; quas indicant metus et tristitia, si diù perseverent.

Prognosis. Juxta eundem auctorem, ex melancholiâ appoplexia, aut convulsio, aut mania, aut cæcitas oritur.

Melancholicis hæmorrhoïdes supervenientes, bonum.

Melancholia acquisita, ingenitâ faustior curatuque facilior.

Prophylaxis. Huic morbo occurrunt qui ethicæ et hygienes præcepta seduli observant.

Curatio. Si culpanda sit hæmorrhoïdum vel menstruorum suppressio, aut solitæ phlebotomiæ omissio, aut exanthematis retropulsio, aut podagræ regressio, tunc eò ducendum quò natura causæ indicat. Hirudines ad podicem aut vulvam apponendæ; pertundenda vena; vesicantia, sinapismi, excitantia derivantiaque, pro re natâ, adhibenda sunt.

Cùm autem morbus eò usque adolevit ut mens uni eidemque ideæ pertinacissimè affixa maneat, totus curationis cardo in hoc vertitur ut prædominanti oppositus concilietur animi affectus. Quam ob causam multùm prosunt itinera, ambulatio, ludi, cho-

reæ, confabulationes, consortia amœna, scenæ spectacula quibus tempus fallitur mensque à cogitatione semper præsente divertitur.

Hanc olim curandi methodum profectò callebant, apud Ægyptios, Saturni sacerdotes qui ægros melancholiâ affectos ludo, musicâ picturâve recreabant, navigatione exercebant, moderato salubrique victu reficiebant, sicque pluribus modis exhilarabant, ut eos, victâ mentis phantasiâ, ad sanitatem reducerent.

Quandoque expedit ut medici vel ministri ægris assentiantur, aliàs verò ipsis repugnent: nunc castigatio, nunc minæ, sæpius blanditiæ, quin etiam dolus et fallacia felici cum successu adhibentur.

Melancholia inveterata, præsertim si ingenita sit, curatu difficillima:

Naturam expellas furcâ, tamen usque recurret.

Genus.

Immodicus animi affectus; pertinax uni eidemque objecto adhæsio; ingens ad suspicionem propensio.

Mania.

Quadruplex maniæ species: prima, quæ *sine delirio;* secunda, quæ *cum delirio;* tertia, quæ *dementia;* quarta, quæ *idiotismus* nuncupatur.

Causæ 1ª speciei: vehementia animi pathe-

mata; immodica honorum cupiditas; pietas in mentis excessum rapiens; omissa puerorum educatio; solita juvenum mobilitas.

2æ *speciei*: vivendi modus à moderato devius; labor nimius; insolatio protractior; studia acerrima; pervigilia; vehementia animi pathemata; acuti morbi sequelæ.

3æ *speciei*: ingenita constitutio; ætas ingravescens; intemperantia fortuita; bacchi aut veneris abusus; apoplexia; ictus capiti illatus; terror ingens; studia immoderata et inordinata.

4æ *speciei*: congenita corporis conformatio; lætitia vel terror ingens; enervantium abusus; narcotica; crebrior balneorum et phlebotomiæ usus; vis capiti illata; studia intensiora; apoplexiæ insultus.

Symptomata. 1°. *Mania absque delirio* continua vel periodica: perceptio, judicium, imaginatio, memoria aliæque intellectûs facultates ferè ut sanis; perversæ autem mentis affectiones; cæca ad violentos impetus sævumque furorem impulsio, nullâ tamen prædominante ideâ.

2°. *Mania cum delirio* continua etiam vel periodica aut anomala: summâ autem nervorum commotione, cujusdam pluriumve intellectûs facultatum læsione, lætitiæ aut tristitiæ affectibus, ineptiis aut furore manifestatur.

3°. In dementibus nulla idearum concatenatio; leves atque dispares animi affectus; motus inordi-

dinati atque ineptiam redolentes; præteritorum oblivio; abolita vel imminuta percipiendi facultas; judicii oblitteratio; nullum in agendo propositum; quandoque oblivio vel confusio signorum ideas repræsentantium.

4°. Apud idiotas major minorve intellectûs et affectûs oblitteratio; nunc voces inter somnia vix dùm pronuntiatæ; nunc taciturnitas et aphonia ob idearum defectum; nunc moderati placidique motus; nunc verò vehementes effrenatique impetus.

Diagnosis. Mania innostescit, quia læduntur intellectûs facultates aut pervertuntur animi affectus.

Ægrorum autem corpus nunc athletico robore vigere, famem et algorem patienter ferre; nunc verò debilitari, fame consumi, frigore rigere.

Prognosis. Maniam solvunt varices vel hæmorrhoïdes.

A maniâ dysenteria, aut hydrops, aut vehemens mentis emotio, bonum. *Hipp.*

Cæterùm varius esse debet exitus, pro variâ morbi specie: hinc mania cum delirio infaustior quàm sine delirio; idiotismus dementiâ pejor.

Mania innata morbus immedicabilis.

Prophylaxis. Teste *Hippocrate*, maniæ vere et autumno regnare solent; inde patet quantæ his temporibus sint adhibendæ cautelæ. Tunc mittendus sanguis; minuenda ingestorum copia; animus labore recreandus; furoris initia terrore

comprimenda, servatis tamen benevolentiæ juribus; vitanda ingluvies; cohibenda lætitia; moeror excutiendus.

Curatio. Ad curandam maniam, plurimùm prosunt hygienes ethicæque præcepta. Nunquam vel raro malè mulctandi ægri : si furore bacchentur, terrendi sunt, vinculis constringendi, in carcere detinendi, ne noceant; aliquandò tamen blanditiis permulcendi, aut mercedis spe alliciendi sunt. Quâ de re legatur optima et eruditissima maniæ commentatio auctore *Philip. Pinel*.

Præterea non omittenda causæ investigatio : quæ si detegatur, proprio et opposito remedio impugnanda est.

GENUS.

Continua vel interrupta læsio quarumdam vel omnium intellectûs facultatum aut animi affectuum, sine febrili motu.

Somnambulismus.

Causæ. Corporis habitus sanguineus aut nervosus; adolescentia; ingenium acre; sensibilitas exquisita; quandoque prædispositio incognita.

Symptomata. Somnambuli spontè moventur vel ad motum in somnis excitantur; oculis micant; alacriores, imò solertiores fiunt; quæ vigilantes, eadem perfectiùs somniantes agunt, vel objecta quæcumque, prout menti occurrunt, insequuntur.

Diagnosis pungit oculos.

Prognosis. Casus infelices quibus occubuerunt somnambuli quidam terrorem cæteris incutere debent.

Curatio. Varia pro causâ usurpanda medela: itaque, cùm alimenta calefacientia culpanda sunt, ad emollientia recurrendum est; si studia acerrima, quies animo concilianda, corpus exercitandum; si sensibilitas exquisita, balnea, pediluvia tepida, leviaque narcotica præscribenda sunt; si plethora, mittendus sanguis.

Cæterùm hygietica plus prodesse quam pharmaca solent.

Cuilibet autem vel minimùm attendenti patent cautelæ adhibendæ ne somnambuli vitæ discrimen adeant.

GENUS.

Quædam in somnis excitatio à vigiliâ discrepans, habilitas ad solitos actus exercendos.

Hydrophobia.

Hydrophobia vel sponte generatur, vel contagio communicatur.

Causæ 1ª. *speciei*: irritabilitas aut sensibilitas exquisita; terror ingens; iræ aut furoris impetus; nulla in victu temperantia; labor arduus, fervente sirio; quandoque penitùs ignota causa.

2ª. *Speciei*: saliva bestiæ rabidæ, morsu, linctu

vel contactu inoculata; objectum quodcumque hâc salivâ imbutum ori imprudenter applicatum; aspiratus hydrophoborum anhelitus.

Symptomata. 1°. Hydrophobia spontanea subitò vel non multò post prægressam causam manifestatur : hinc faciei rubor; faucium ardor; horror, convulsio ad liquidorum conspectum, etc.

2°. Qui à cane aliove rabido animali demorsi contagio infecti sunt, primùm tristes, solliciti pusillanimique fiunt; cibos fastidiunt : quibus mox accedunt faucium ardor et constrictio; deglutitio difficilis; horror liquidorum; faciei rubor; aspectus attonitus, truculentus; pulsus durus, fortis, inæqualis; summa anxietas; exspuitio frequens; os spumosum; quandoque etiam dentium stridor; ardor obvia quæque mordendi; furoris et convulsionis paroxysmi ad liquidorum conspectum rerumve pellucentium.

Tandem faciei pallor, extremorum frigus, debilitas et mors tragædiam claudunt.

Diagnosis. Horror liquidorum, faucium constrictio mordendique conatus rabiem ab alio morbo plerumquè distingunt.

Rabies autem communicata facilè innotesceret, si constaret animal in rabiem versum fuisse, cùm morsum impegit. Quamobrem, diagnosis elucidandæ gratiâ, rabiosi canis imaginem subjungimus.

Qui scilicet, ineunte morbo, fit tristis; solitudinem quærit; non latrat, sed murmurat; cibum

potumque aversatur ; in ignotos furit atque irruit, heri tamen adhuc memor et reverens ; aures caudamque demittit, somnolentorum instar incedens.

Ingravescente morbo, anhelare solet, linguam exserere, spumam emittere, hiare ; nunc segniter ut semisopiti, nunc celeriter incedere, non rectâ semper viâ.

Mox ne herum quidem agnoscere ; demissos, lacrymosos pulverulentosque habere oculos ; linguam plumbeo colore ejicere ; subitò gracilescere, insanire, furere ; tandem elapsis vix triginta horis perire. Vide *Boerhaavium, de rabie caninâ.*

Prognosis. Quò vehementiùs furit animal, diutiùs malo laboravit, mortique propius est, eò morsus lethalior, acutior, et violentissima citiùs symptomata producit.

Prophylaxis. Omnes ferè artis principes, teste *Boerhaavio*, deplorant *demorsorum prophylaxim vix ullam certam haberi ;* omnes tamen præcipiunt, imprimìs recentes practici, 1°. ut vulnera quàm citissimè abstergantur, et scarificationibus pertundantur ; 2°. ut causticis solidis aut liquidis adurantur.

Curatio. Ex suprà laudato *Boerhaavio*, deplorant quoque artis principes *jam aquam paventium sanatorum exemplum dari certâ fide nullum.* Nihil tamem crudelius quàm, abjectâ curatelâ omni, miseros statìm negligere, aut suffocare, uti barbarus olìm mos erat ; ergò quædam remedia mali

naturâ indicata adhibenda sunt, ut missio sanguinis, emollientia, antispasmodica, balnea, etc.

De famigeratis olìm antidotis, jecore canis rabiosi exusto, et similibus, sermonem abstinebimus, cùm nullum sit cujus efficacia certo comprobetur experimento.

Genus.

Hydrophobia sive spontanea sive communicata propriis et communibus signis innotescit, videlicet faucium ardore et constrictione, horrore liquidorum, exquisitâ oculorum, aurium, etc. sensibilitate.

ORDO I. *Vesaniæ.*

Major minorve intellectûs et affectûs læsio.

1°. Intellectûs, cujus pervertuntur facultates, idea scilicet, judicium, ratiocinium, memoria, imaginatio : hinc ineptiæ, delirium, oblivio, allucinatio.

2°. Affectûs, cujus etiam mutatur aut pervertitur inclinatio : hinc tristitia ingens cæcusve furoris impetus sine causâ; insuperabilis horror, aut effrenata cupiditas; morositas aut lætitia ingens.

Vesaniarum autem aliæ continuæ, aliæ periodicæ aut abnormes.

ORDO SECUNDUS.

Spasmi.

In hoc ordine quatuor genera continentur : nimirùm *convulsiones*, *epilepsia*, *hysteria* et *tetanus*.

Convulsiones.

Triplex convulsionum species, *prima*, quæ ab irritamento interno ; *secunda*, quæ ab externo ; *tertia*, quæ à consuetudine oritur.

Causæ 1ᵆ *speciei* : exquisita sensibilitas ; plethora ; hæmorrhagia suppressa ; variolæ ; meconii retentio ; venena intùs ingesta ; retropulsa exanthemata ; celerior ulcerum consolidatio ; vermes in intestinis nidulantes ; flatus ; partus difficilis ; dentitionis labor ; effusio liquidi intra calvariam vel cerebri latibula.

2ᵆ *speciei* : ossa fracta vel luxata ; musculorum aut nervorum distensio ; vulnera ; exostosis ; caries ; inspiratum gaz acidum carbonicum ; dolor externus.

3ᵆ *speciei* : sensibilitas exquisita ; vita otiosa ; educatio mollis et corpus effeminans ; venereorum abusus ; terror ; mœror ingens ; iræ impetus.

Symptomata 1ᵆ *speciei* : musculi voluntati obedientes alternis contrahuntur et relaxantur vicibus ; hinc varii motus, inflexiones, positurae, et gesticulationes numero infinitæ ; mens ut plurimùm sui compos est ; aliquandò tamen hilariter aut mœstè

delirat ; insaniâ aut melancholiâ laborat : musculi vitali motui inservientes vix afficiuntur.

2ᵃ *speciei* : musculi, positâ causâ, contrahuntur, sublatâ verò quiescunt ; mens non delirat.

3ᵃ *speciei* : musculorum contractio levissimâ de causâ excitatur et consuetudine confirmatur.

Hinc *diagnosis*.

Prognosis. Convulsiones eò infaustiores quò causa gravior et eradicatu difficilior.

Prophylaxis. Ars gymnastica colenda est ; pueri militari more educandi ; corpus deliciis et luxuriâ non enervandum ; baccho non litandum ; fugienda venus immodica ; imitanda Persarum et Spartanorum instituta de pueris educandis. Vide *Plutarchum*, *de Lycurgi vitâ*; *Xenophontem*, *de Cyropediâ*.

Curatio. Medela pro diversâ causâ varia esse debet : convulsio enim à luxatis ossibus oborta eorum repositione sanatur ; sensibilitas exquisita antispasmodicis mitigatur ; plethora evacuantibus, missione sanguinis, etc. discutitur ; ulcera citiùs consolidata fonticulis restituuntur ; retropulsa exanthemata vesicantibus supplentur ; vermes anthelminticis enecantur.

GENUS.

Quorundam musculorum contractio et relaxatio involuntariæ, accidentales, consuetudine confirmatæ, levissimâ de causâ recurrentes, sine mentis lapsu.

Epilepsia.

Triplex epilepsiæ species; *prima* cerebralis, seu idiopathica; *secunda* sympathica; *tertia* fortuita.

Causæ 1æ *speciei :* omnia quæ liquida ad encephalum impellunt; summa musculorum irritabilitas; solitæ hæmorrhagiæ suppressio; intemperantia; alcoholicorum aut venereorum abusus; plethora; causa sæpè hæreditaria et incognita.

2æ *speciei :* ætas quælibet, uterque sexus, omnisque constitutio hanc epilepsiam contrahere possunt; causa verò efficiens omninò latet.

3æ *speciei :* vis illata capiti; ventris tormina; otalgia; partus difficilis; vermes in intestinis nidulantes; venena ingesta; retropulsio exanthematum; debilitas, ut in recèns natis eclampsiâ correptis; vehementia animi pathemata, terror, ira, furor, etc.

Symptomata. 1°. Epilepsia idiopathica nunc repentè ingruit, nunc cardialgiâ, vertigine, scotomiâ, aurium tinnitu, sopore, temporalium pulsu facieique rubore præludit.

Ab exordio, mente labuntur ægri; amittuntur sensus externi et interni; corpus subitò concidit humique prosternitur; tunc autem distorqueri et circumgyrare oculi; contrahi faciei musculi; spumæ ex ore moveri; membra convelli aut rigere; inflari abdominis pectorisque cava; cervix coarctari aut intumescere; os rubere aut livere.

Paroxysmus per quinque vigintive minuta durat,

moxque per periodos aut sine normâ revertitur ; ægri per intervalla melancholiâ aut tristi morositate afficiuntur.

2°. Epilepsiæ sympathicæ præire solent titillatio, dolor, aut stupor partis cujusdam, extremorum scilicet, mammarum, scapularum, meatûs auditorii, faciei, etc. ex quibus assurgit aura, ut aiunt, epileptica quæ ad caput usque pervenit cæteraque suprà memorata generat symptomata.

3°. Epilepsia fortuita iisdem ac cæteræ species symptomatibus stipatur.

Diagnosis. Epilepsia propriis symptomatibus innotescit, solâque intellectûs abolitione et sensuum oblitteratione à convulsionibus distinguitur.

Juxta medicinæ protoparentem, epilepsiæ regnant vere, autumno, pluviosis anni tempestatibus; familiares sunt pueris dentientibus, juvenibus.

Prognosis. Epilepsia hæreditaria nunquam, idiopathica rarò, sympathica et fortuita sæpè curabiles. *Boerhaav.*

Quæ ab osseâ cranii excrescentia aut malâ solidorum conformatione pendet, vix radicalem medelam suscipit; siquidem causa prænosci, aut cognita eradicari nequit.

Teste *Hippocrate*, epilepsiæ ante pubertatem contingentes, mutationem accipiunt; commoriuntur verò quibus accidunt viginti annos natis.

Juvenes autem liberantur mutatione ætatis et victûs et regionis.

Id morbi genus, juxta *Celsum*, solet quidem etiam longum esse usque ad mortis diem, at vitæ non periculosum : interdum tamen, quum recens est, hominem consumit, et sæpe eum, si remedia non sustulerunt, in pueris veneris, in puellis menstruorum initium tollit.

Curatio. Tot fermè remedia proposita fuere, quot auctores de hoc morbo scripserunt.

Fabius Columna valerianæ efficaciam ad cælum extollit : hanc autem confutat *Locherus*, medicus Vindobonensis, qui feliciori cum successu camphoram, corticem Peruvianum opiumque adhibuisse memoratur : is efficacissimam, præ cæteris, utilitatem tribuit aurantiorum foliis sive decoctis, sive in pulverem contritis.

Phil. Pinel Peruvianum corticem cum camphorâ et quibusdam cinnamomi granis coagmentatum feliciter expertus est ; qui etiam ammoniacum ad fallendos insultus epilepticos, eorumque cousuetudinem depellendam plurimùm laudat.

D. *Quarin* adolescentem exquisitâ sensibilitate præditum à morbi insultibus musicâ vindicabat.

Haënius cranii ustionem rejecit quam tamen *Rudolphus* commendat, dummodò caustica anteriori futuræ sagittalis parti imponantur.

Doctores *Thouret* et *Andry* adamantem necnon magnetismum animalem extollunt.

Ex quibus liquet non unicam, sed variam pro variâ causâ usurpandam esse medelam.

Itaque 1°., si plethora culpanda sit, venæ sectio, purgatio, in victu sobrietas, corporis exercitatio conferunt.

2°. Si exquisita musculorum irritabilitas aut nervorum sensibilitas, eorumque motilitas aut debilitas morbum generent, ad antispasmodica vel corroborantia confugiendum est.

3°. Epilepsiæ ex vehementibus animi pathematibus, opiatis, contrariisque animi affectibus impugnandæ sunt.

4°. Quæ à læsione cerebri pendent, per cranii vulnera, contusiones, fracturas, intropressiones, abscessus, saniem, ichorem, sanguinem, etc., perterebratione tentandæ sunt.

5°. Cùm epilepsia oritur à suppressis quæ anteà excerni solebant, menstruis, lochiis, hæmorrhoïdibus, urinâ, foecibus, pure, etc. revellentia juvant, qualia sunt missio sanguinis, hirudines ad vulvam, podicem, fonticuli, vesicantia, emmenagoga, aristolochica, hæmorrhoïdes aperientia, diuretica, laxantia.

6°. Quæ à colluvie gastricâ nascitur, vomitoriis et diluentibus, quæ à vermibus, anthelminticis, quæ à dentitione, aptâ gingivarum incisione evincitur.

7°. Cùm præludit vapor epilepticus, investigandus locus morbi fomes, moxque exulcerandus cultro, caustico, vesicatorio aut corrosivo : quæ nisi malum tollant, nervus auræ vector, quùm detectus est, comburendus, ligandus aut secandus est.

8°. Epilepsia fortuita et consuetudine confirmata terrore aut apparatu impetum faciente quandoque discutitur. Vide *Boerh.*

9°. Denique morbus ille ab exostosi venereâ, variolarum eruptione, hydrocephalo, etc. oriri potest; tunc autem medela causæ idonea esse debet.

GENUS.

Motus convulsivi, sensuum et rationis oblitteratio.

Hysteria.

SPECIES SIMPLEX.

Causæ. Exquisita sensibilitas; veneris abusus; vehemens crebraque animi commotio; libri, verba picturave lasciva; viduitas; menstruorum imminutio vel suppressio; leucorrhœæ interruptio.

Symptomata. Cùm morbus subitò non ingruit, præire solent oscitatio; oculorum scintillatio; vertigo; membrorum torpor; urina limpida; facies rubra aut pallida; fletus involuntarii aut cachinni.

Primo autem morbi gradu: ineunte paroxysmo, globulus ab utero sursùm ad ventriculum et cervicem usque volvitur.

Hinc frigoris aut caloris sensus in epigastrio; abdominis depressio aut inflatio, tensio; pectoris constrictio aut amplificatio; anhelatio; dypsnoea; extrema frigida; facies ut plurimùm rubra, aliquandò pallida.

Secundo gradu: paroxysmi sæviores fieri; pectus ampliari; cervix faciesque turgere; spiritus suffocari; frigere pedes; pulsus interrumpi; sensus aboleri; convelli membra, truncus, caput.

Tertio gradu: paroxysmi vehementissimi; nulla ferè circulatio et respiratio; calor penè extinctus; insensibilitas; immotilitas; mortis imago.

Diagnosis. Hysteria, cùm simplex est, ab aliis morbis facilè distinguitur; globulus enim suprà memoratus signum habetur pathognomonicum atque rem extra dubitationis aleam ponit.

Prognosis. Eò majus minusve periculum imminet, quò major aut minor symptomatum intensitas.

Quibusdam in casibus, rarissimis quidem, ægrotæ, sæviente paroxysmo, morti occubuerunt.

Prophylaxis. Fugiendæ causæ: nihil autem magis hysteriæ favet quàm mollities, inertia, veneris abusus, etc. Educatio, imprimìs ætate nostrâ, præcipuus hujus morbi fomes haberi potest. Puellulæ enim ad voluptatem potiùs quàm virtutem efformatæ, incestos amores, ut ait poëta, de tenero meditantur ungue; hinc pessima mali labes. Atqui Spartanæ mulieres hysteriâ profectò non vexabantur Lycurgi tempore: sapiens enim legislator, ut refert *Plutarchus*, virginum corpora cursu, luctâ, discorum et telorum jactu exercebat, neque eas se delicatè curare, aut otiosè vivere patiebatur.

Curatio. 1°. Si morbus à menstruorum anomaliâ pendeat, *Paræus* atque obstetrices, frictiones, cu-

curbitulas, fumigia atque injectiones in uterum commendant.

Hippocrates juvenculas hysteriâ vexatas matrimonio curari, severiorique continentiæ moderatum substitui coïtum præcipit.

Aëtius de cautelis hygieticis moderatoque victu plurimùm instat.

Matutina corporis exercitatio rhedâ, equo, navi, etc., declamatio, frictiones plurimùm à veteribus laudantur.

2°. Cùm morbi paroxysmi breviter et sponte desinunt, neque symptomata sæviunt acriter, à remedio vehementi prorsùs abstinendum est; tunc plerumquè sufficere observantur clysmata ex assâ fœtidâ, fomenta ex aceto epigastrio imposita.

3°. Cùm interrumpuntur omnes vitæ functiones, ad irritantia externa etiam efficacissima confugiendum est, qualia sunt acidum aceticum, ammoniacum, etc.

Passioni hystericæ depellendæ confert sternutatio. *Hippocr.*

SPECIES COMPLICATÆ.

Hysteria cum hypochondriâ, melancholiâ atque epilepsiâ complicari potest; hinc judicium difficile, prognosis varia, curatio fermè impossibilis.

GENUS.

Sensus globuli ab utero sursùm volutatim ascendentis cervicemque constringentis, undè variæ

læsiones et anomaliæ caloricitatis, sensibilitatis et motilitatis, itemque respirationis et circulationis.

Tetanus.

Quadruplex tetani species; *prima*, quâ neonati vexantur; *secunda*, quæ ab irritamento externo; *tertia*, quæ ab animi pathematibus; *quarta* demùm, quæ ab internâ causâ oritur.

Causæ 1ª *speciei*: exquisita neonatorum sensibilitas; maritimi frigidique aëris impressio, ut in insulis occidentalibus.

2ª *speciei*: contusio; luxatio; fractura; vulnera; quælibet nervosæ fibrillæ irritatio.

3ª *speciei*: mœror profundus; terror ingens; iræ aut furoris impetus; studia acerrima.

4ª *speciei*: colluvies primarum viarum; vermes in intestinis nidulantes; metastasis; febris; exinanitio.

Symptomata. 1°. Recèns nati tetano correpti vehementer agitantur, uberibus inhiare nequeunt, ob maxillæ contractionem; aliquandò musculi omnes simul contrahuntur, eaque contractio perennis est, aut per paroxysmos periodicos vel abnormes revertitur.

2°. Tetanus traumaticus certis ac constantibus stipatur phænomenis, nimirùm oscitatione, doloribus in variis corporis partibus; quibus succedunt maxillarum constrictio; rigor tetanicus in quibus-

dam tantùm locis aut universo corpore, fugax aut perennis.

Aliquandò etiam superveniunt sensuum aut intellectûs oblitteratio, tremor, salivatio, syncope, oris lineamentorum mutatio, languidus aut intensus faciei color, respirationis læsio, vocis alteratio aut integritas.

3°. et 4°. In reliquis speciebus, eadem symptomata quæ suprà.

Diagnosis. In tetano perennis est musculorum contractio; indè signum pathognomonicum.

Prognosis. Tetano correpti, teste *Hippocrate*, intra quatuor dies pereunt: si tamen hos effugerint, sanescunt. Quæ sententia semper observationi non consonat.

Tetanus autem ex vehementibus ardoribus, malum.

Febris tetano superveniens, bonum.

Prophylaxis. In Americâ mos est recèns natos per novem ab ortu dies diligenter recludere, oleo vel pinguedine inungere, sectoque funi umbilicali emplastrum agglutinans superimponere. *Bajon*.

Curatio. Varia pro morbi causâ et specie remedia commendantur; opium scilicet, moschus, castoreum, cortex Peruvianus, hydrargirum, aliaque antispasmodica et sudorifica non mediocri laude extolluntur à practicis.

Tetanus qui à vermibus oritur, anthelminticis; qui à ventriculi aut intestinorum colluvie, emesi

aut catharsi; qui à nervo læso, cæsione, causticis, vesicantibus, suppurantibus, et corrosivis impugnandus est.

GENUS.

Contractio involuntaria musculorum mandibulam elevantium, vel extensorum et flexorum ejusdem membri totiusve corporis, absque relaxationis vicibus.

ORDO II. *Spasmi.*

Causæ. Sensibilitas exquisita, irritatio externa vel interna.

Symptomata. Contractio et relaxatio alternæ et involuntariæ musculorum motui inservientium; nunc interruptæ, nunc perseverantes intellectûs facultates; nunc membrorum rigor simultaneus et perennis; nunc spasmi periodici aut abnormes fistulam intestinalem, diaphragma et cor vexantes, cerebrumque afficientes; nunc quasi globulus ab utero sursùm volutus variasque œconomiæ functiones perturbans.

TERTIUS ORDO.

Anomaliae nervosae.

In hoc ordine sex genera distinguuntur: 1°. *asthenia muscularis;* 2°. *neuroses organorum voci inservientium;* 3°. *neuroses ductûs alimentarii;*

..

4°. *neuroses aphrodisiacæ ;* 5°. *neuroses ophthalmicæ ;* 6°. *neuroses acousticæ ;* 7°. *tandem neuralgiæ.*

Asthenia muscularis.

Tres hujus generis species : paralysis scilicet, tremor localis aut generalis, atque reactionis defectus in musculis antagonistis.

Causæ 1æ *speciei :* solitæ hæmorrhagiæ, excretionis cujuscumque, ulceris, etc. suppressio; pergræcatio ; vis illata capiti ; terror, imprimis fluentibus menstruis ; mœror profundus.

2æ *speciei :* alcoholicorum vel narcoticorum abusus ; senectus ; mercurii plumbique fodinæ ; terror ingens ; iræ impetus ; tristitia.

3æ *speciei :* rheumatismus chronicus ; scorbutus ; subita aëris frigidi impressio ; quorumdem musculorum inertia vel irritatio diutiùs producta.

Symptomata 1°. *paralysis :* imminutio vel deperditio motûs voluntarii in alterutro corporis latere; hinc *hemiplegia :* aut in extremis inferioribus; hinc *paraplegia :* quandoque in facie, pharyngi, linguâ, brachiis, manibus, aliove corporis loco; hinc *paralysis localis.*

2°. *Tremoris generalis aut localis :* alterna flexorum et extensorum contractio, in parte aliquâ, vel in omnibus corporis partibus, ut in *choreâ S. Withi.*

3°. Cujusdam pluriumve musculorum relaxatio

et valida antagonistarum contractio; hinc *caput obstipum*, variæque corporis inflexiones et posituræ.

Diagnosis. Imminuta vel deperdita motilitas, superstite vel oblitterato partis affectæ sensu, signum habetur pathognomonicum.

Prognosis. Qui per omnia membra resoluti sunt, celeriter rapi solent; ac, si correpti non sunt, diutiùs quidem vivunt; sed raró tamen ad sanitatem perveniunt, et plerumque miserum spiritum trahunt, memoriâ quoque amissâ.

In partibus veró nunquam acutus, sæpè longus, ferè insanabilis morbus est. *Celsus, de re medicâ.*

Paralysis, monente celeberr. *Boerhaavio*, lethalis, minus lethalis, sanabilis, incurabilisve haberi potest, pro causæ magnitudine, pro varietate sedis, pro diversitate partis affectæ, pro organo magis aut minus vitæ necessario.

Hinc paralysis cordis, pulmonum, musculorum respirationi inservientium, gulæque, brevi lethalis; stomachi, intestinorum et vesicæ, à causis internis, valdè periculosa; musculorum faciei, mala et facilè in apoplexiam mutabilis.

Paraplegia valdè periculosa, apoplexiæ prænuncia, hâc natâ lethalis.

Hemiplegia mala, paraplegiæ affinis; hinc apoplexia necans.

Quæ cùm frigore, insensibilitate, partis atrophiâ, mala raròque medicabilis; quæ cùm sævâ con-

vulsione magnoque partis oppositæ calore, mala. *Aphor. de cognos. et curand. morb.*

Curatio. Varia pro causæ varietate medela usurpanda est. Quamobrem paralysis quæ à plethorâ oritur, sanguinis missione, catharsi; quæ à suppressis menstruis, emmenagogis; quæ à retentis hæmorrhoïdibus, remediis eas promoventibus rectè sanatur; et sic de cæteris.

Cùm autem ex veteri adagio contraria contrariis curanda sint, liquet quantùm stimulantia ad resuscitandam musculorum contractilitatem utilia sint; itaquè ab omnibus medicis celebrari solent aquæ thermales, electricitas, sudorifica, sinapismi, vesicantia, frictiones, flagellatio, urticatio, omniaque gestationis genera, rhedâ, navi, lecto, etc.

Aër oxygenus atmospherico permixtus paralysim feliciter curavit quam vinum lithargyrio concinnatum produxerat.

Galvanismi efficaciam quædam testantur observata.

Hemiplegiam vehementibus animi pathematibus, lætitiâ scilicet irâque victam fuisse non unico comprobatur exemplo.

Genus.

Debilitas contractionis muscularis quæ partis alicujus inertiâ vel motibus ejus levissimis et involuntariis manifestatur.

Neuroses organorum voci inservientium.

PRIMA SPECIES.

Convulsio musculorum laryngis.

Causæ sive *prædisponentes* sive *efficientes* parùm innotescunt.

Symptomata. Primùm loquelæ difficultas; mox verba dissona, modò acuta, modò gravia, absque voluntatis imperio, sed propter abnormes contractiones quibus coarctatur aut elongatur aspera-arteria, quibusve glottis aperitur aut occluditur.

Hinc *diagnosis* atque *prognosis*.

Curatio. D. *Portal* antispasmodica felici cum successu adhibuit.

SECUNDA SPECIES.

Aphonia, seu paralysis musculorum laryngis.

Causæ. Hæmorrhagiæ suppressio; lapsus in caput; variolarum sequelæ; difficilis menstruorum eruptio; vermes in intestinis nidulantes; sectio, constrictio vel compressio nervorum recurrentium; abusus alcoholicorum.

Symptomata. Aphonia, vel quia voces non emittuntur ob resolutos laryngis musculos, vel quia non articulantur ob linguæ paralysim.

Hinc *diagnosis*.

Prognosis eò infaustior quò gravior causa, aphonia quò intensior.

Curatio. Suprà laudatus D. *Portal* hunc morbum feliciter debellavit hirudinibus ad jugulum, violâ ipecacuanhâ sæpiùs repetitâ, tandem aquis mineralibus quarum bina quotidie pocula per quindecim dies hauriebantur.

TERTIA SPECIES.

Angina pectoralis, seu spasmodica pectoris constrictio.

Causæ. Ætas media; obesitas; motus velocissimus; ingluvies; vehementia animi pathemata; equitatio; rhedæ succussus; deglutiendi, tussiendi et loquendi conatus, cùm morbus inveteravit.

Symptomata. Superior, media aut inferior pectoris regio acerbo constringitur spasmo, imprimis post pastum, velociorem motum, validum ascendendi nixum : hinc summa anxietas, suffocationis sensus; dispositio ad syncopen : quæ symptomata intervallis inæqualibus revertuntur et integræ sanitatis vicibus excipiuntur.

Indè *diagnosis.*

Prognosis. Sanitas vix detrimentum patitur.

Prophylaxis. Equitatio moderata aliave corporis exercitatio, futuris hujus morbi insultibus occurrit.

Curatio. Spasmi et dolores quibus pectus vexatur,

tonicis et antispasmodicis, vino alcohole permixto, magneticis lapidibus sterno superimpositis, non solùm mitigantur, sed etiam sanantur.

QUARTA SPECIES.

Asthma convulsivum.

Causæ. Frigidi aëris impressio; mephitici vapores; cibi post iræ impetum assumpti; solitæ phlebotomiæ suppressio; menstruorum aut hæmorrhoïdum anomaliæ; hypochondria; exanthematum retropulsio; metastasis arthritica.

Symptomata. Ægroti, dùm advesperascit, pandiculari, oscitare somnoque urgeri solent.

Mediâ verò circiter nocte, doloribus vagis, dyspnoeâ, tussi convulsivâ, spasticâ diaphragmatis et intercostalium musculorum contractione expergiscuntur: hinc interruptæ et vix articulatæ voces.

Tandem vergente paroxysmo, facies coloratur.

Inde *diagnosis*.

Prognosis eò infaustior, quò dolores acriores; tussis quò vehementior; constrictio pectoris quò major.

Curatio. Antispasmodica commendari solent. Varia autem aërum genera ab anglo-medicis feliciter adhibita fuisse norunt omnes. Aër imprimis oxygenus, solus vel aëre athmospherico permixtus, blando pectus calore recreat, tussim sedat, placidumque somnum inire suadet.

QUINTA SPECIES.

Tussis convulsiva, seu morbus cucullatus.

Causæ. Pueritia; hypochondria; constitutio depauperata; subita venti borealis in australem conversio; morbi cutanei retropulsio; ventriculi et intestinorum colluvies.

Symptomata. Tussis vehemens, ferina; plures sine intermissu expirationes quibus unica succedit inspiratio vulgò sonora, cum vel sine muci aut seri excretione; turgidæ capitis venæ; major temporalium pulsus; facies colorata; quandoque oscitatio; sternutatio; urinæ mictus alvique secessus ob tussis acritudinem.

Diagnosis. Morbus cucullatus catarrhum mentiri potest; à quo tamen secernitur tussis frequentiâ, feritate et pertinaciâ, oculorum rubore, necessitate quâ urgentur ægri vicinis objectis innitendi, ne cadendi periculum adeant, inspiratione vulgò sonorâ, quæ repetitis expirationibus succedit, quamque muci exscreatio aut saburræ vomitus insequitur.

Prognosis. Morbus cucullatus rarò lethalis. Paroxysmi eò breviores quò facilior muci exscreatio. Tussis tamen vehementiam aliquandò concomitantur hypochondriorum dolores, linguæ, oculorum aut brachiorum resolutio, cephalalgia, femorum stupor, etc.

Curatio. Primigenius morbi fomes in ventriculo

residere, pulmonesque per sympathiam irritari videntur: unde liquet cur tantoperè prosint vomitoria aliaque evacuantia quæ primas vias impurâ colluvie liberant; commendantur etiam antispasmodica, quibus mitigatur sensibilitas organorum digestioni inservientium, atque amara aut tonica, quibus eorum vires restituuntur.

Cùm exanthematis alicujus retropulsio culpanda est, vesicantia, fonticuli, etc. non mediocre levamentum ægris afferunt.

Genus.

Difficilis verborum articulatio, propter resolutos aut convulsos laryngis vel thoracis musculos.

Neuroses ductûs alimentarii.

PRIMA SPECIES.

Spasmus œsophagi.

Causæ. Sensibilitas exquisita; haustus aquæ frigidæ, imprimis post iræ impetum; anorexia ingens; vehementia animi pathemata; stimulus œsophago, ventriculo vel intestinis illatus.

Symptomata. Deglutitio difficilis aut impossibilis, propter spasmodicam œsophagi constrictionem, quâ impeditur alimentorum in alvum descensus; cæterùm nullus dolor nullave sanitatis læsio.

Indè *diagnosis* atque *prognosis*.

Curatio. Prosunt antispasmodica, linimentum camphoratum, etc. *Hoffmannus* duos camphoræ scrupulos oleo amygdalarum dulcium exceptos feliciter adhibuit.

SECUNDA SPECIES.

Vomitus.

Causæ. Exquisita sensibilitas; ventriculi duodenique colluvies; venena ingesta; exanthematum retropulsio; variolarum eruptio; graviditas; menstruorum suppressio; fistulæ intestinalis irritatio; calculus ureteribus infixus; lapsus in caput; tristitia.

Symptomata. Præludunt epigastrii morsus, anxietas, oscitatio, singultus, diaphragmatis succussio, nausea; mox ventriculus convellitur, et sordes quibus infarcitur rejicit.

Hinc *diagnosis.*

Prognosis. Vomitus eò infaustior, quò causa gravior et eradicatu difficilior.

Curatio. Hic morbus antispasmodicis evincitur. Juvant *Haënii Riveriique* potiones quibus emesim sedandi vis inest.

TERTIA SPECIES.

Famis et digestionis perversio.

Causæ. Sensibilitas exquisita; moeror ingens; ira recondita; ingluvies aut abstinentia; veneris

abusus aut continentia involuntaria ; præmatura peruviani corticis administratio in debellandis febribus intermittentibus ; vita otiosa ; menstrua retenta aut suppressa.

Symptomata. Dyspepsia ; anorexia ; boulimia ; pyrosis ; gastrodynia ; gustûs depravatio.

Diagnosis. Explorandum est utrùm digestionis perversio sympathica sit an idiopathica, utrùm primigenia an secundaria.

Prognosis. Varius præsagitur exitus, pro variâ mali causâ et indole.

Curatio. Si fames et digestio ob spurcam primarum viarum colluviem pervertantur, emesis cienda est. Cæteris in casibus, varia, pro re natâ, medela requiritur. Nunc quidem antispasmodica, nunc verò cœli aut victûs mutatio, nunc corporis exercitatio, nunc emmenagoga sanitatem restituunt.

QUARTA SPECIES.

Colica saturnina.

Causæ. Consuetudo saturninos oxydes attrectandi, metallicos inspirandi vapores, vina lithargyrio concinnata epotandi.

Symptomata, 1°. *pathognomonica:* pertinax alvi obstructio ; acria ventris tormina, quæ appressu potiùs mitigantur quàm exasperantur ; ani plerumque retractio ; umbilici depressio ; nulla vulgò febris.

2°. *Sympathica.* Anorexia; nausea; vomitus materiæ porraceæ, fœtidæ; os amarulentum, plumbum sapiens; lingua flava; dyspnœa; anxietas; agrypnia; dysuria; ischuria; membrorum thoracicorum stupor aut resolutio; tremor aut convulsio; insultus epileptici; balbuties aut aphonia; visûs et auditûs hebetudo, aut cæcitas et surditas; facies sufflava; digitorum contractio.

Diagnosis. Morbus saturninus causis et symptomatibus ità innotescit, ut cum alio confundi nequeat.

1°. Quidem distinguitur à colicâ inflammatoriâ, enteritide aut peritonitide, quòd major minorve febris hos morbos concomitetur, venter intumescat, ejusque dolor sub premente manu exacerbetur.

2°. Colica metallica à vegetabili quoque discrepat; hæc enim epidemica, illa verò sporadica: aliam metalla, aliam acerba vegetabilia generant; prior sine febre, ventrisque dolore, posterior cum febre et exquisito abdominis sensu grassatur.

Prognosis. Colica saturnina generatim considerata, non lethalis. Eò tamen infaustior curatuve difficilior, quò vetustior aut complicatior, ægrorum ætas quò provectior, vires quò debiliores, symptomata quò intensiora.

Autopsia. Secta defunctorum cadavera crassioris intestini constrictionem plerumque ostendunt.

Prophylaxis. Curanda corporis mundities; quamobrem operarii metallicis vaporibus obnoxii, bal-

neo interdum uti, manus ante pastum detergere, faciemque manè abluere debent. Plurimùm etiam confert, si alvum emolliant, cibos concoctu faciles sumant, vino abstineant, aut moderatè bibant, jejuni operam non incohent, in officinis vento perflatis laborent.

Curatio. Lis est inter medicos utrùm colica saturnina morbus sit inflammatorius, nec ne. Quidam inter quos *Haënius* aliique medici Vindobonenses, et doctor *Tronchin* methodum, ut aiunt, antiphlogisticam ad cœlos usque evehunt; alii verò famigerati quidem apud gallos medici, drastica, sudorifica et vomitoria etiam valentissima commendant. Quodnam igitur tenendum iter? si hâc de re ad funebria nosocomiorum acta referatur, è tribus millibus et trecentis quinquaginta tribus ægris hoc morbo correptis, et in Parisiensi *Caritatis* nosocomio, duodecim annorum spatio, inscriptis, sexaginta quatuor tantùm occubuisse comperitur. Indè consectarium est palmam remediis drasticis et vomitoriis in supradicto nosocomio usitatis esse tribuendam.

Celeber. tamen *Stoll*, exploratis atque pensitatis morbi symptomatibus, curandi methodum ad simpliciorem statum redigere tentavit, ideòque laxantia et narcotica alternatìm commendat.

Membrorum resolutio aut debilitas, itemque visûs et auditûs hebetudo, electricitate simul et sudorificis nonnunquàm feliciter sanantur.

GENUS.

Constrictio spasmodica vel convulsio œsophagi, ventriculi aut intestinorum.

Neuroses aphrodisiacae.

PRIMA SPECIES.

Anaphrodisia.

Causœ. Crebrior membri virilis attrectatio, imprimis ante pubertatem; abusus onanismi; imaginatio vehementer commota; ardens amoris æstus; hæmorrhagiæ sæpius repetitæ; musculorum ischiocavernosorum resolutio.

Symptomata. Membri virilis asthenia, impossibilis erectio; exquisita sensibilitas; involuntaria spermatis emissio ad levissimam attrectationem.

Hinc *diagnosis.*

Prognosis è causâ et symptomate derivatur.

Curatio. Morbum, si è nimio præmaturoque veneris abusu oriatur, sanatu, nisi impossibilem, saltem perdifficillimum esse constat ex *Henrici-ab-Heers* observationibus.

Si læsa vel præoccupata imaginatio membri erectionem impediat, tunc dolo fallaciâque utendum, ut credulæ mentis incantamenta solvantur. *Montaigne, Pinel.*

Venus nimis ardens antiphlogisticis, emollientibus, etc. refrenanda: cùm impuberes onanismo aut manustuprationi mancipati sunt, turpi huic infamiæ

renuntiare debent; mox vires, si langueant, analepticis, exercitio, rusticatione, balneo frigido, cibo et potu bonæ indolis reficiendæ sunt. *Tissot.*

SECUNDA SPECIES.

Dyspermasia, seu difficultas ejàculandi spermatis.

Causæ. Ætas robusta, vel decrepita, ideòque hinc membri virilis rigor, illinc laxitas; onanismus; mollior pudendi muliebris fabrica.

Symptomata. Tarda vel impedita spermatis ejaculatio, licet mas omnibus fruatur virilitatis attributis, naturæque propositum per copulam impleat.

Inde *diagnosis* atque *prognosis.*

Curatio. Cùm virile membrum apud robustum adolescentem nimis riget, ad sanguinis missionem, diætam et emollientia recurrendum est.

Si autem effœta langueant genitalia, fomentis aromaticis inungenda sunt; corpus exercitandum, nutriendum, omnimodè roborandum. Expedit imprimis ut ægri perditos exuant mores, et à licentiori vitâ ad meliorem se reducant.

TERTIA SPECIES.

Satyriasis aut inexplebilis venereorum appetitus.

Causæ. Continentia involuntaria aut veneris abusus; præcox tardave genitalium evolutio; cretinismus; vestimentorum squalor; metastasis herpetica ad urethram.

Symptomata. Invincibilis ad crebrum coïtum propensio, ejusque, sine virium detrimento, exercendi facultas; hircinus odor è cutis spiraminibus afflatus; prædispositio ad dementiam, mentis asperationem, maniam, etc., si sexuum impediatur copula.

Inde *diagnosis.*

Prognosis. Satyriasis, si perseveraverit, ad maciem mortemque miserrimam trahit.

Curatio. Si corpus herculeo robore polleat, debilitandum est missione sanguinis, diætâ, etc.

Immoderatus veneris usus continentiam requirit.

Cùm pravæ cogitationes, aut libri licentiores, animum accendunt, amoremque effrenatum inspirant, labores aut itinera suscipienda sunt.

Acrior urethræ pruritus ob metastasim herpeticam vesicantibus et depurantibus mitigandus est.

QUARTA SPECIES.

Priapismus.

Causæ. Imprudens cantharidum usus, calculi vesicæ; blennorrhagia.

Symptomata. Membri virilis tensio, rigor, calor atque dolor, absque coïtûs desiderio.

Inde *diagnosis* atque *prognosis.*

Curatio. Morbus ex cantharidum abusu emolliente camphoratoque potu sedatur.

Calculi vesicam irritantes cystotomiâ extrahendi sunt. Blennorrhagia antiphlogisticis impugnanda.

QUINTA SPECIES.

Nymphomania, furor uterinus.

Causæ. Pubertas; libri licentiores; continentia involuntaria; onanismus; exquisita uteri sensibilitas; herpes ad genitalia retropulsa.

Symptomata, 1ª periodo: mens lascivis et obscœnis objectis occupatur; ægra tristis, inquieta, taciturna solitudinem quærit; somnum non capit; cibos non appetit; pudorem inter et cupidinem dubia fluctuat.

2ª *periodo*: veneri laxat habenas; oculo, gestu verboque mares allicit, sollicitat; obvio cuicumque insistit; in ejus amplexum ruit; minas jactat irâque furit, repulsæ impatiens.

3ª *periodo*: delirat omninò; turpia obscœnaque pleno ore eructat; insanit; obvia quæque percutit, lacerat; apyretico tamen ardet calore; denique vehementissimâ maniâ corripitur.

Hinc *diagnosis*.

Prognosis infausta, nisi furor compescatur.

Curatio. Varia pro causæ diversitate usurpanda medela: vide quæ suprà de satyriasi.

GENUS.

Genitalium asthenia vel irritatio; abolita vel adaucta mutua sensûs in sexum propensio; atonia vel spastica contractio quorumdam musculorum generationi inservientium.

Neuroses ophthalmicæ.

PRIMA SPECIES.

Hemeralopia.

Causæ. Pupillæ immobilitas aut contractio; ætas provecta; imminuta retinæ sensibilitas; studia acerrima; objecta lucidissima ex consuetudine conspecta.

Symptomata. Facilis objectorum distinctio, cùm sol nitidissimus est; visûs autem obscuritas et confusio, cùm diem noctis excipiunt vices.

Inde *diagnosis* atque *prognosis.*

Curatio. risum moveret qui senilis hemeralopiæ sanationem promitteret.

Verùm, si adolescens ob nimiam sciendi cupidinem libris impallescat, commonendus est ut à studio temperet ne in hemeralopiam incidat atque visûs periculum adeat.

Qui objecta vividissimo lumine illustrata inspicere solent, tam funestam consuetudinem deponere debent vel cautelas adhibere quibus nimia detorqueatur luminis affluentia.

Hemeralopia ab exquisitâ oculorum sensibilitate antispasmodicis evincenda est.

SECUNDA SPECIES.

Nyctalopia.

Causæ. Opacum lentis crystallinæ centrum; exquisita retinæ sensibilitas; consuetudo objecta in locis

perobscuris distinguendi; uveæ inflammatio, indèque iridis contractio et vividioris luminis impatientia.

Symptomata. Facultas aut impossibilitas objecta distinguendi, prout debili vel intenso lumine illustrantur.

Indè facilis *diagnosis* atque *prognosis*.

Curatio. Retinæ sensibilitas antispasmodicis, cataracta lentis crystallinæ extractione aut depressione, uveæ inflammatio antiphlogisticis debellanda est.

TERTIA SPECIES.

Amaurosis.

Causæ. Vis capiti illata, lapsu, ictu; narcotica; pervigilia; studia acerrima; libri minutissimis inscripti litteris; acerbi frigoris aut vividissimi luminis impressio; iræ impetus; balnea calida; partûs labores; plethora; solitæ hæmorrhagiæ suppressio; affectus hystericus; acuti morbi sequelæ; veneris abusus.

Symptomata. Amaurosis nunc cephalalgiâ, vertigine, sopore, auriumque tinnitu prælubit; nunc verò repentè invadit, tuncque visus aboletur omninò, absque organicâ oculorum læsione, adeò ut lumen à tenebris non distinguatur. Qui morbus aliquandò periodicus est ut in hypochondriacis et hystericis.

Indè *diagnosis* atque *prognosis*.

Curatio. Medela totuplex usurpanda, quotuplex causa. Cùm morbus à capitis fracturâ, com-

motione aut contusione oritur, calvaria feliciter aliquandò perterebratur.

Studia acerrima, si culpanda sint, intermittenda vel moderanda..... sic de cæteris.

GENUS.

Visûs læsio quâ fit ut objecta die noctuve solùm distinguantur, vel illius functionis oblitteratio propter nervi optici resolutionem.

Neuroses acousticae.

PRIMA SPECIES.

Dysœcia

Causæ. Sternutatio frequens; ingentem fragorem audiendi consuetudo; conatus buccinam aliaque instrumenta musica inflandi; vomitus frequens, ut in navigantibus; primæ viæ cibis onustæ; graviditas; balnea calida; metastasis febrilis; salivatio aut hæmorrhagia suppressa; *Eustachiani* tubi obstructio; retropulsio exanthematum; podagræ anomaliæ.

Symptomata, primo gradu: tinniunt aures, auditur quasi labentis aquæ susurrus aut strepentis tintinnabuli sonitus.

Secundo gradu: levia vix percipiuntur murmura, quamvis corpus sonorum et aër quo sonus vehitur ingentem possint excitare sensationem.

Indè *diagnosis* atque *prognosis.*

Curatio. 1°. Si morbus idiopathicus sit atque ab organicâ læsione pendeat, eradicatu difficillimus est. Juvat tamen aures mundare atque detergere, ut cerumen aliæque sordes auferantur quibus plerumque obstruitur ductus auditorius externus; itemque tubum *Eustachianum* expedire; nunc acousticis uti instrumentis; nunc loca fugere quæ fragoso perstrepunt sonitu.

2°. Cùm dysæcia sympathica est, morbi principalis habenda ratio. Itaque podagra anomala ad pristinam revocanda sedem; gastrica colluvies vomitoriis expellenda; suppressa hæmorrhagia restituenda vel arte supplenda, etc.

SECUNDA SPECIES.

Surditas completa.

Causæ externum vel internum auris ductum aut nervum acousticum afficiunt.

1°. Ductûs auditorii externi obturatio, parietum coalitione, tumore glandulari, pseudo-membranâ, ulcere, ceruminis congestione, corpore extraneo.

2°. Tympani læsio, tensio aut relaxatio; pseudo-membrana, tumorve ipsi adhærens; ossificatio membranarum utriusque fenestræ; sanguinis, puris mucive congestio in tympani cavitate; luxatio, caries aut destructio ossiculorum.

3°. Defectus, atrophia aut compressio nervi acoustici, tumore encephalico, liquidi congestione.

Symptomata. Completa auditûs abolitio; soni-

tum intensissimum, aut protractissimum, aut etiam levissimum audiendi impossibilitas.

Hinc *diagnosis* et *prognosis*.

Curatio. 1°. Auris externæ vitia nonnunquam sanari possunt. Sic, membranâ meatum obturante feliciter excisâ, auditum restitutum fuisse legitur. Aures etiam cerumine quo obstruuntur expedire convenit.

2°. Quis tympani læsionibus, ossiculorum cariei, luxationi aut destructioni, nervique acoustici aptam medelam afferre poterit?

3°. Cùm surditas sympathica est, primigenius morbus impugnari debet.

GENUS.

Læsio auditûs ità ut sonus contentâ voce articulatus solummodò percipiatur; vel ipsius oblitteratio ex quocumque nervi acoustici aurisve tùm internæ tùm externæ vitio.

Neuralgiæ.

Quintuplex distinguitur neuralgiarum species: *neuralgia* scilicet *faciei; neuralgia ischio-scrotalis; ischias*, seu *neuralgia membrorum abdominalium; neuralgia cubito-digitalis*, et *neuralgia anomala*.

Causæ prædisponentes. Telæ cellularis laxitas, ejusque raritas in quibusdam corporis partibus; subcutanea et superficiaria nervorum positio.

Causæ efficientes. Frigoris impressio; ictus, contusio aut vis quæcumque nervis illata; solitæ hæmor-

rhagiæ, serosique vel mucosi fluxûs suppressio; tubercula nervum comprimentia; dens carie exesa; vitium arthriticum aut rheumaticum.

Symptomata 1ᵃ *speciei :* dolor acutus, lacerans, lancinans, divellens, absque rubore, calore, tensione, aut tumore partis affectæ, nervi facialis truncum aliquemve ipsius ramum vexans, unde ramusculos omnes, eorumque connexiones fulminis instar percurrit, easque seorsìm aut conjunctìm, successivè aut simul afficit : hinc *neuralgia frontalis, infrà-orbitalis et maxillaris*, quarum paroxysmi breviores aut protractiores, crebriores aut rariores, periodici vel abnormes.

2ᵃ *speciei :* dolor acutissimus, crebrior aut rarior, ab ilii margine ad cunctos primi paris lumbalis ramos vergens; hinc scroti constrictio, testiculi retractio, absque nephritidis indiciis.

3°. *Ischiadis* seu *neuralgiæ membrorum abdominalium* triplex admittitur varietas, nimirùm *ischias posterior, ischias anterior*, et *neuralgia plantaris* quarum hæc symptomata :

A *Ischiadis posterioris* seu *femoro-popliticæ :* dolor continuus aut intermittens imprimis vespere nocteque recrudescens, ab ischiaticâ emarginatione, seu ab ipso nervi trunco ad varias ejus divaricationes progrediens, nimirùm ad os sacrum, popliticam femoris faciem, externum suræ latus, superioremque tarsi partem.

B *Ischiadis anterioris*, seu *femoro-prætibialis :*

dolor ex inguine seu ab ipso nervi trunco irrepens ad femur, internum suræ latus, malleolum internum, convexam pedis faciem, innumerasque imprimis rami tibio-cutanei divaricationes.

C. *Neuralgiæ plantaris semel à professore* Chaussier *observatæ* : dolor plantam sinistri pedis afficiens, mox in neuralgiam infrà orbitalem mutatus.

4°. *Neuralgiæ cubito-digitalis :* dolor acutus, qui in eà vulgò cubiti parte oriri solet ubi nervus solâ cute telâque cellulari tegitur ; inde ad ramos vergens cutaneos qui suprà-palmariam manûs faciem ipsiusque oram cubitalem respiciunt.

5°. *Neuralgiæ anomalæ :* dolor acutus, abnormis, chronicus, qui ad varios affecti nervi ramos progredi solet.

Inde *diagnosis*.

Prognosis. Neuralgia quidem lethifera non est, sed molestissimis, atrocissimis, frequentissimis pertinacissimisque doloribus stipari solet : hinc morositas, agrypnia somnive interruptio ; anorexia ; alvi obstructio ; digestionis et secretionum perversio ; macies ; atrophia.

Curatio. Varia hactenùs remedia pro causæ naturâ, symptomatis intensitate cæterisque morbi circumstantiis adhibita fuere : nunc scilicet phlebotomia, emesis, diluentia, aquæ salinæ, aut sulfuricæ ; nunc opium aliave narcotica, cortex Peruvianus, balnea frigida, guajaci resina, arnica ; nunc

tuberculorum excisio, nervorum resectio, caustica, adamas, vesicantia, fonticuli.

Conferunt etiam cibi leves, parci, suaves, quandoque diæta lactea, equitatio, vectio in rhedis, etc.

Vehementia autem animi pathemata, ingluvies, vinum, alcohol ventriculique atonia dolorum frequentiam et acerbitatem adaugent.

ORDO III. *Anomaliæ nervosæ locales.*

Causæ. Inæqualis aut anomala, adaucta vel imminuta fluidi nervosi circulatio.

Sedes. Caput, thorax, abdomen membraque hisce anomaliis obnoxia sunt; inde visûs, auditûs, respirationis, digestionis, generationis et locomotionis læsiones aut perversiones.

Symptomata. Dolores aut spasmi in quibusdam corporis partibus, quorum varia intensitas, duratio longior aut brevior, reditus periodicus aut abnormis.

QUARTUS ORDO.

Comata.

Hic ordo quatuor genera continet, *apoplexiam*, *catalepsiam*, *narcosim* et *asphyxiam*.

Apoplexia.

Causæ. Victus lautissimus; vita otiosa; veneris abusus; menstruorum, lochiorum hæmorrhoïdumque suppressio; immoderatus balneorum usus;

vis illata capiti, lapsu, ictu, etc.; pergræcatio; mœror ingens; furoris impetus; ira recondita; studia acerrima.

Symptomata. 1°. Cùm morbus pedetentìm invadit, præire solent aurium tinnitus, dysæcia aut surditas, visûs hebetudo aut scotomia, fortuita et iterata balbuties, loquelæ tarditas, sopor, carebaria, vertigines, membrorum stupor, formicatio, levis musculorum subsultus, memoriæ vacillatio.

2°. Cùm morbus repentè ingruit, ejus insultus levis est aut vehemens.

Si *primùm*, lingua subitò irretitur; alterutrius lateris membra torpent et quasi formicis titillantur; caput graviter dolet; os paululùm distorquetur; æger somno opprimitur atque intellectûs facultates vix exercet.

Si *secundùm*, imminuuntur vel abolentur sensuum et intellectûs functiones; hinc stupor, coma; sensus et motus imminuuntur vel suspenduntur in dimidiâ parte corporis, læsâ vix respiratione quæ stertens fit vergente morbo; arteriæ fortiter pulsant.

Diagnosis. Sensûs, motûs et intellectûs abolitio, superstitibus circulatione et respiratione, apoplexiam ab alio quocumque morbo distinguunt.

Insuper apoplexiæ supervenire solent pluviosis anni tempestatibus, hieme, senibus, maximè eâ ætate quæ est à quadragesimo ad sexagesimum annum. *Hipp.*

Prognosis. Apoplexia ab ictu in capite, malum.

Apoplexiam solvere vehementem, impossibile, debilem, non facile. *Hipp.*

Autopsia. Cæsis defunctorum cadaveribus, observantur seri aut puris collectio in cerebri latibulis, sanguinis coagula intra meninges, vasorum distensio, carotidum aut vertebralium laceratio, tumores ossei aut carnei intra calvariam eminentes, abscessus, ulcera, adaucta pinealis glandulæ moles. *Morg. Boërh.*

Prophylaxis. Cùm plethora imprimìs ad apoplexiam disponat, huic medicus occurrere debet, ingesta minuendo et excreta augendo.

Curatio. Apoplexiâ detenti levandi sunt arteriotomiâ, phlebotomiâ, hirudinibus et cucurbitulis. Quibus præmissis, sensibilitas excitanda est emesi, purgantibus, clysmate acri, stimulante, vesicatoriis, sinapismis, motu, succussione, etc.

Genus.

Vulgò subitus, aliquandò lentus morbi ingressus; sopor; imminutio vel abolitio motûs voluntarii ob liquidorum congestionem in encephalo.

Catalepsia.

Causæ. Constitutio sensibilis aut melancholica; labor nimius; defatigatio; studia acerrima; protracta diù in unum objectum meditatio; vermes in intestinis nidulantes; vehementia animi pathemata; solitæ hæmorrhagiæ suppressio.

Symptomata. Corpus immotum, sedens, stans, decumbens, ut ante morbi invasionem; oculi clausi vel aperti; motus abolitus; visus, auditus et intellectus oblitterati; cæterùm respiratio et circulatio superstites, aliquandò vix sensibiles.

Inde *diagnosis*.

Prognosis. Catalepsia in alios morbos raro transit : aliquandò tamen epilepsia, convulsio, dementia et atrophia eam exceperunt; in mortem plerumque finitur. *Boërhaav.*

Autopsia. Secta cadavera cerebri venas et arterias denso cruore fartas ostendunt.

Curatio. Varia medela pro causæ varietate tentanda est. Lumen, sonus, stimulus, sal volatilis acer, dolor, frictio, motus, agitatio et omnia quæ sensuum organa validè excitare possunt, vesicatoria, fonticuli, setacea, emmenagoga, remedia hæmorrhoïdes aut sanguinis fluxum è naribus cientia adhiberi solent.

GENUS.

Sensûs et motûs abolitio ; pulsus et spiritus vix sensibiles; membra ut primo insultûs momento, vel statum sibi datum retinentia.

Narcosis.

Triplex narcosis species, *prima* quæ à sopore, *secunda* quæ ab alcoholicorum abusu, *tertia* quæ à vegetabilibus oritur.

PRIMA SPECIES.

Sopor.

Causæ. Mœror ingens; debilitas ab anterioribus morbis, aut à nimiis evacuationibus; retropulsio erysipelatis; consuetudo inquinatum aërem aspirandi; metastasis arthritica.

Symptomata. Triplex soporis varietas; nimirùm *somnolentia*, seu propensio ad somnum facilè vincibilis; *cataphora*, seu sopor qui excitantibus discutitur moxque revertitur; tandem *carus*, seu sopor invincibilis.

Inde *diagnosis* atque *prognosis*.

Curatio. Sopor ab inquinato aëre aut mœrore profundo, excitantibus discutiendus est, afflatu scilicet puri aëris, aceto, ammoniaco, etc.

Sopor autem à metastasi aut retropulsione exanthematum, vesicatoriis, fonticulis, etc. impugnandus est.

SECUNDA SPECIES.

Narcosis ab alcoholicorum abusu.

Causæ morbi titulo indicantur.

Symptomata. Sensuum et intellectûs oblitteratio; voluntarii motûs cessatio; superstites tamen pulsus et spiritus; facies nunc pallida, nunc verò rubra, vultuosa.

Diagnosis. Ebrietas apoplexiam mentiri potest;

aliquandò cum furente maniâ coexistit ; ab utrâque verò distinguitur, si causæ explorentur.

Prognosis. Ebrius quispiam, subitò obmutescens, convulsus moritur, nisi febris eum prehenderit, aut cùm ad horâm pervenit quâ crapulæ solvuntur, vocem recuperet. *Hipp.*

Henricus-ab-Heers et *Forestus* ebrietatem sex septemve horarum spatio solutam fuisse memorant.

Galenus autem ebrios biduo triduove tantùm sopore detentos observavit.

Norunt tamen medici vires etiam herculeas immodicâ solitâque crapulâ exhauriri : hinc enim dyspepsia, anorexia, membrorum tremores, paralysis, icterus, ascites hydropsve universalis, apoplexia incurabilis, tandem mors præmatura.

Curatio. Boerhaavius ebrietatem bis vomitu feliciter impugnavit.

Henricus-ab-Heers hominem epulis vinoque sepultum avulsis quibusdam labiorum pilis exsuscitavit.

Quidam autem medici potus acidulos præcipuum esse contra crapulas remedium affirmant.

TERTIA SPECIES.

Narcosis à vegetabilibus.

Causæ. Cicuta virosa ; cicuta aquatica ; conium maculatum ; papaver somniferum ; physalis somnifera, hyosciamus niger ; datura stramonium ; atropa mandragora.

Symptomata. Stupor; delirium jocosum aut furibundum; exstasis; convulsio; anomaliæ nervosæ.

Diagnosis. Morbus explorată causâ innotescit.

Prognosis. Varius est exitus pro variâ supradictorum vegetabilium dosi; mixtione, ægrique constitutione vel habitu.

Curatio. Cienda emesis: quo facto ad potus acidulos recurrendum est.

Genus.

Sensus et intellectus oblitterati vel interturbati ob ingesta quædam: stupor, morositas, delirium jocosum et spasmodicum.

Asphyxia.

Quintuplex asphyxiæ species, prima quæ *à submersione*, secunda quæ *à strangulatione*, tertia quæ *à gazibus*, quarta quæ *à latrinarum vaporibus aut effluviis*, quinta quæ *à sordibus neonatorum fauces obstruentibus*.

PRIMA SPECIES.

Asphyxia à submersione.

Causæ. Immersio in liquidum, unde aëris inspiratio impeditur.

Symptomata. Ineunte submersione, aurium tinnitus, susurrus, murmur; pectoris constrictio; anxietas; vertigines; superstites tamen circulatio, musculorum contractilitas atque instinctus vitam

conservandi ; tandem mors vel extremum salutis discrimen.

Diagnosis in eo consistit quod à morte vita distinguatur. Porrò hoc opus, hic labor. Vitâ siquidem subsistente, perseverat sanguinis circulus, neque pulmones aut encephalum ità obruuntur ut nervorum origo comprimatur, sensusque oblitteretur.

Perperàm tamen concluderetur homines submersos vitâ penitùs defunctos fuisse, quòd in ipsis arteriæ non pulsarent, neque ulla existerent sensibilitatis indicia. Quin imò ineunte etiam putredine, de submersis desperandum non est : unde manifestum est quanta sit adhibenda cautela in explorandis et discernendis mortis et vitæ terminis.

Prognosis eò infaustior quò diuturnior sub aquis immersio.

Curatio. Secta docent submersorum cadavera tantam aquæ copiam in primas vias pectorisque cava non penetrasse, ut organorum vitæ essentialium fabricam aut functiones lædere possit : multùm ergò redarguendus, imo proscribendus ille mos est quo corpora aquis emersa pedibus suspenduntur, donec aquam ejiciant quam absorbuisse censentur. Invigilandum potiùs ne quid detrimenti capiant contusione, vulnere, commotione, etc.

Mox 1°. calor ipsis restituendus est linteis aut stragulis calidis, sole, foco, aquâ, cinere, arenâ saleque calidis, frictione, fotu, etc.

2°. Exsuscitanda actio viscerum abdominalium

fumigio, aut clysmate acri et calido, cum sale marino, vino, alcohole, etc.

3°. Excitanda sunt pectoris organa, cor et pulmones, aëris insufflatione per nares, odore penetrantissimo, ammoniacali, etc.

His auxiliis per plures horas utendum est. Vitâ autem revocatâ, adhiberi possunt, pro re natâ, vomitoria, sudorifica, excitantia, etc.

SECUNDA SPECIES.

Asphyxia à strangulatione.

Causæ. Violenta cervicis constrictio.

Symptomata. Incipiente constrictione, oculorum caligo; quasi flammæ conspectus; mox, turgentibus vasis cerebralibus, pressâque nervorum origine, stupor, sensûs oblitteratio; facies tumida, livida; apoplexia.

Diagnosis. Causa investiganda; exploranda imprimìs regio cervicalis: num ibi ecchymoses? num luxatæ vertebræ? facies ne tumida an collapsa? Pallida an livida? de his omnibus diligentissimè inquirendum est, præsertìm cùm agitur de enodandis quæstionibus medico-legalibus.

Prognosis. Luxatâ intortâve cervice, de vitâ conclamatum est.

Fractâ contusâve asperâ-arteriâ, summum vitæ discrimen, ne mortem dicam, adesse nemo inficiari potest.

Curatio. Quædam, rara tamen, observata docent

de strangulatis semper non esse desperandum. Homines enim, cùm patibulo suspensi fuissent, ad vitam tamen revocati memorantur; ergò miseris quibus cervix faucesque constrictæ fuerunt auxilio esse poterimus, nisi processus spinalis compressus vel laceratus fuerit.

Itaque, si os rubeat, et livescat intumescat, sanguis illicò mittendus est, ut apoplexiæ atque ineluctabili morti occurratur; quo facto, excitantia, stimulantia, cæteraque omnia quibus vita redintegrari potest, adhibenda sunt.

TERTIA SPECIES.

Asphyxia à gazibus.

Causæ. Gaz azotum, gaz hydrogenum, gaz acidum carbonicum, effluvia quæ sepulchretis, fodinis et paludibus emanare solent.

Symptomata. Subita sensûs atque motûs deperditio; insignis respirationis et circulationis læsio vel intermissio; quandoque convulsiones; corpus rubrum, tumidum, calidum; facies rubra aut livida; membra flexibilia.

Indè *diagnosis.* Ars autem chimica non mediocris est momenti ad indagandas aëriformium substantiarum naturam, mixtionem, etc.

Prognosis eò infaustior quò diutiùs æger causæ obnoxius fuit.

Curatio. Asphyctici aëri puro exponendi sunt, atque exsuscitandi aspersione aquæ frigidæ, fric-

tione, acri clysmate, alcohole ori instillato, aëre per nares faucesve introducto, vaporibus ammoniacalibus etc.

QUARTA SPECIES.

Asphyxia à latrinarum vaporibus.

Causæ. Gaz quod emanare solet, antequam excrementa moveantur, gallicè *la mitte*; vapor qui assurgit post eductam sordium partem, gallicè *le plomb.*

Symptomata. Causa prior oculos vehementer afficit; aliquando excæcat; somnolentiam, delirium jocosum convulsionesque generat.

Posterior verò spiritum aliquandò repentè obstruit, aut articulos sævis torquet doloribus.

Diagnosis. Substantia quam D. *Hallé* vocat *la mitte* ex eo dignoscitur quod noxior fiat, si ignis in latrinis accendatur, aut in eas calx projiciatur.

Substantia verò dicta *le plomb* sponte dissipatur, si sordes non moveantur, flammam non concipit, candelas non extinguit, contagio communicatur, nullâ chimicorum arte capitur; hinc meritò dubitatur an gazis formam habeat, nec ne.

Prognosis. Utraque substantia jam memorata noxia est; siquidem mortem subitam inferre potest.

Prophylaxis. D. *Hallé*, qui effluviorum è latrinis emanantium effectus investigare non dedignatus est, purgatores monet ut, priusquàm se operi

accingant, accensos paleæ manipulos in foveas projiciant, ventilabra instituant, pulverisatâ aut solutâ calce utantur, denique caminos accendant tum in foveis, tum in ipsarum spiraculis, atque acetum in vapores continuò redigant.

Curatio. Omni ope atque operâ enitendum est ut hâc asphyxiâ correpti exsuscitentur atque ad vitam revocentur.

QUINTA SPECIES.

Asphyxia neonatorum.

Causæ. Neonatorum debilitas; viscida materia eorum faucibus, asperæ-arteriæ aut bronchiis adhærens, quâ impeditur aëris in pulmones intromissio.

Symptomata. Motùs voluntarii suppressio; respiratio nulla; debilis aut nulla cordis et arteriarum pulsatio in neonatis.

Indè *diagnosis* atque *prognosis.*

Curatio. Aer per nares aut fauces crebrò insufflandus. Pueruli in aquam calidam immergendi; ipsorum expediendæ fauces intromissione digiti aceto aut vino intincti; abdomen atque pectus alternis comprimenda vicibus.

Præthereà occipitium, pectus spinamque perfricare confert pannis laneis alcohole et ammoniaco imbutis, pedibus subdere stimulos, aquam alcohole permixtam in epigastrium syphone impellere, nares titillare, eisque odores acres suppo-

nere, clysmata aromatica crassiori intestino injicere, sensibilitatem electricitate aut galvanismo exsuscitare.

GENUS.

Circulatio aliæque vitæ functiones interruptæ submersione, strangulatione, quorumdam gazium aspiratione, vel inertiâ organorum respirationi inservientium apud neonatos.

ORDO IV. *Comata.*

Causæ, 1°. *physicæ:* vis illata capiti; studia acerrima; abusus alcoholicorum et narcoticorum; aëriformium venenorum aspiratio.

2°. *Morales:* tristia aut vehementia animi pathemata, terror, mœror ingens, ira, furor, etc.

Symptomata, 1°. *communia:* sopor; stupor; insensibilitas major aut minor; aliquando vehemens excitatio, convulsio, delirium.

2°. *Singulis generibus propria:* nunc abolita motilitas et sensibilitas; sopiti sensus et intellectus; superstites verò circulatio et respiratio (*apoplexia*).

Nunc musculi sic tensi remanent, ut in initio erant, corpusque, mirabile visu! illum retinet statum quem ipsi dare velis (*catalepsia*).

Nunc continua musculorum resolutio vel eorum identidem convulsio (*narcosis*).

Nunc deniquè insigniter læsæ vel intermissæ respiratio et circulatio (*asphyxia*).

CLASSIS IV. *Neuroses.*

Causæ prædisponentes. Exquisita sensibilitas aut irritabilitas.

Causæ efficientes. Quodlibet adversus hygienes præcepta peccatum; vehementia animi pathemata; substantiæ quædam deletrices corpori humano applicatæ vel ingestæ.

Symptomata, 1°. læsiones facultatum intellectûs (*vesaniæ*).

2°. Perversio motilitatis aut irritabilitatis (*spasmi*).

3°. Anomaliæ sensibilitatis; ipsius incrementum, imminutio, perversio aut intermissio in quibusdam organis (*anomaliæ nervosæ locales*).

4°. Generalis sensibilitatis atque motilitatis interruptio, cum vel sine respirationis et circulationis læsionibus (*comata*).

QUINTA MORBORUM CLASSIS.

MORBI LYMPHATICI.

HÆC ultima morborum classis tres continet ordines, quorum primus *morbos cutaneos*, secundus *morbos glandularum lymphaticarum*, tertius *hydropes* complectitnr.

PRIMUS ORDO.

Morbi cutanei.

Hoc ordine quatuor includuntur genera, *lepra*, *herpes* seu *impetigo*, *tinea* et *scabies*.

Lepra.

Duplex lepræ species; alia simplex seu *elephantiasis*, alia septentrionalibus regionibus endemica.

Causæ 1æ *speciei :* prædispositio hæreditaria; contagium; corporis illuvies; alimenta pravæ indolis.

2æ *speciei :* aër humidus simulque frigidus; habitatio in maritimis Norvegiæ et Sueciæ oris, in regionibus borealibus; ars piscatoria; corporis illuvies; solitus piscium esus.

Symptomata lepræ simplicis, 1a *periodo :* facies rugosa, aspera, arida, sulcata, tuberculis insita; aliquandò morbi exordium in ulnis, genubus, pe-

dibus aut manibus; tarditas in exercendo motu; sopor; constipatio.

2ª *periodo :* anima fœtida; urina jumentosa; satyriasis vehemens; cutis profundiùs sulcata, asperis et solitariis insita tuberculis, elephantino corio similis; alopecia, seu capillorum pilorumque defluvium; pulsus exilis, lentus; vehemens digitorum manuumque pruritus; genarum rubor, tumor; oculi inertes, exanimes; supercilia eminentia; nares nigris, lividis turpibusque deformatæ tuberculis.

3ª *periodo :* ulcerata genarum, menti digitorumque tubercula; quarumdam partium, nasi, digitorum pedumque lapsus; dolor gravativus; agrypnia; anxietas; melancholia ingens; tunc vero temporis solvuntur consanguinitatis et amicitiæ vincula; ægri solitudinem quærunt et inaccessa per loca vagantur.

Symptomata lepræ septentrionalis, primo gradu : debilitas generalis; membrorum, pectoris nasique dolor; vox rauca; facies rubra; pedes tumidi; ulcera in brachiis, femoribus fácieque lata, subobscura, violacea, saniosa.

Secundo gradu : enormis et inorganica pedum moles; in variis autem corporis partibus tubercula dura et insensibilia, crustis operta densis, cinereis, albidis.

Tertio demùm gradu : oblitteratæ sensuum functiones, digitorum membrorumque lapsus.

Inde *diagnosis.*

Prognosis. Lepra morbus est fœdissimus, rarò curabilis.

Prophylaxis. Vitandæ causæ, contagium scilicet, corporis illuvies, alimenta pravæ indolis.

Curatio. Diæta remediis accedere debet.

1°. Ad diætam pertinent alimenta humectantia, cutis excretionem promoventia; legumina; jura carnium bonæ indolis, cancrorum, anguium, testudinum, lac decocto hordeo permixtum, infusa helicis, veronicæ, moderatus vini meraci usus, corporis exercitatio.

2°. Remedia aut interna aut externa sunt.

Interna, ut depurati plantarum succi, ipsarum decocta cum salibus neutris, sudorifica, tinctura antimonii.

Externa: morbo jam provecto, prosunt balnea cum herbis emollientibus et subaromaticis, mox cum aquâ marinâ, thermali, vaporibus, fomenta antiseptica cum Peruviano cortice, lintea carpta myrrhæ, aloës succinique tincturis imbuta bis die ulceribus apposita.

Hydrargirum nocet; feliciùs verò tubercula resolvunt topica mediâ acritudine prædita; unguenta scilicet inulæ helenii, althææ, styracos; mox aqua alcohole, potassæ lixivio aut muriate ammoniacali permixta.

GENUS.

Sensuum functiones imminutæ ; vox rauca ; tubercula dura atque insensibilia varias corporis partes deturpantia.

Iaws seu frambœsia.

Causœ. Pueritia ; juventus ; contagium.

Symptomata. Ineunte morbo, maculæ leves, solitariæ, mox pedetentìm diffusæ, mucronatæ, in phlyctenas et pustulas mutatæ ; nullus ichor ; lympha nulla ; labente verò furfurosâ quâdam crustâ, subruber oritur fungus, fragiformis aut moriformis, plurimisque lobulis conflatus, cujus sedes præsertìm in facie, inguinibus, axillis ; pili partis affectæ albidi, diaphani.

Diagnosis. In primâ morbi periodo, propria morbi signa pungunt oculos : posteà verò, cùm pars affecta abscedit, haud facilè distinguitur à lue mutatæ quâcum sæpè complicatur. Cæterùm uterque morbus eâdem causâ generatur eâdemque curatelâ vincitur.

Prognosis. Fungos suprà memoratos in ulcera corrodentia mutari quædam observata docent.

Iaws morbus aliquandò recidivus.

Curatio empirica est. Itaque 1°., cùm solæ maculæ existunt, boli è sublimato sulphure camphorâque conflati dandi sunt, donec pustulæ maturescant.

2°. Muriate mercurii utendum, ut moderata ali-

quandiù moveatur salivatio, fungique in furfurosas squamas abeant.

3°. Adhibendum electuarium ex oxyde mercurii sulfurati nigri, gayaco, theriacâ, etc.; cui remedio, si morbus pugnatior fuerit, mercurialia caustica adhibenda sunt.

Nonne, juxta D. *Lorry*, cutis arida tepido potiùs emollienda balneo? an salivatio necessaria? nonne sudorifera muriate mercurii utiliora? quorsùm verò æthiops mineralis monstrosâ cum farragine complicatus? an omittendæ, præsertìm vergente morbo, aquæ thermales, sulphuricæ?

Impetigo, herpes.

Quatuor impetiginis species, miliaris, pustulo-crustosa, squamosa, et ulcerosa seu corrodens.

Causæ. Parùm cognoscuntur; culpari tamen solent prædispositio quædam ingenita, affectus arthritici, contagium, degenerata maléve curata syphilis.

Symptomata propria 1æ *speciei :* vesiculæ sero plenæ, coacervatæ, rubro limbo circumdatæ, per siccationem in squamulas abeuntes, recidivæ, molestè prurientes, acriter interdùm dolentes, aliquandò mucosis affixæ membranis.

2æ *Speciei :* pustulæ variæ latitudinis, caput, truncum membrave afficientes, in suppurationem abeuntes; hinc concreto pure crustæ variæ densitatis et duritiæ; aliquandò cutis ulceratio.

3ª. *Speciei* : squamæ albidæ in ore, trunco membrisque erumpentes, variæ magnitudinis, sponte deciduæ, superstite cutis rubore, non stillante sero, neque ulceratâ cute.

4ª *Speciei* : cutis ulcerata aut erosa in quibusdam locis, manibus scilicet, ore, cruribus, illæsis tamen partibus subjacentibus, sed effluente materiâ serosâ cujus varia densitas et acritudo.

Symptomata communia seu generalia 1ª *periodo* : deterior in dies sanitas, cum vel sine febrili motu; mictus alvique secessus ut sanis; anorexia; flatus post pastum; somnus tumultuosus; melancholia.

2ª *Periodo* : ingens ægrorum de propriâ sorte sollicitudo; macies; depressio abdominis; aliquandò lienis induratio, aut viscerum dolor; crurum tumor; febris hectica; furfurosum urinæ sedimentum; molesta tussicula, imprimìs bihorio trihoriove post pastum; anxietas; suffocationis sensus; farinosa cutis desquamatio.

3ª *Periodo* : phthisis aut consumptio; hydrops; diarrhœa colliquans; sudor nocturnus, etc.

Indè *diagnosis* : vera tamen hujus morbi indoles mobilis est, fugax captuque difficilis.

Prognosis. Herpes squamosa omnium curatu facillima; corrodens omnium pertinacissima.

Herpes contagio acquisita, curabilis; ingenita vix medelam capit.

Id morbi genus nunc symptomaticum, nunc

idiopathicum, nunc hæreditarium, nunc acquisitum, nunc etiam criticum.

D. *Lorry* apud homines herpeticâ lue vexatos neque sanguinis, neque bilis, verùm potiùs lymphatici systematis alterationem culpandam esse existimat.

Prophylaxis. Fugienda contagio, aut alia quævis causa, si innotuerit.

Curatio. Galenus topicum commendat è cupri oxydibus, cantharidibus helleboroque conflatum. Verùm metuenda hujus remedii acritas; quippe quæ febrem deliriumque excitare potest.

Empirici veterum exempla secuti, mali stirpem eradicare tentarunt, suppurationem bonæ indolis et cicatricem curantes; verùm infaustissima hinc malorum labes.

Plurima, quæ olim famigerata fuere, remedia in oblivionem delapsa sunt. Solis autem aquis thermalibus sua celebritas decusque manent.

Cortex ulmi pyramidalis ad cœlum usque sublatus nihil est præter merum artis circulatoriæ commentum.

Sola victûs, aëris aut loci mutatio aliquandò luem herpeticam feliciter depulit.

Vegetabilium usus diu continuatus, depurantia, sudorifera, purgantia, balnea, imprimisque solanum dulcamara herpetes etiam infensissimas curavisse memorantur.

Calidum herpetibus exedentibus utile, auctore *Hippocrate*.

Quæ à lue venereâ antisyphiliticis, quæ à metastasi arthriticâ vesicatoriis et sinapismis impugnanda.

GENUS.

Vesiculæ sero plenæ; pustulæ; crustæ aut squamæ, periodicæ aut perennes, cutem aliquandò ulcerantes aut corrodentes.

Tinea.

Triplex tineæ species, *porriginosa*, *favôsa*, et *rugosa*.

Causæ parùm cognoscuntur; culpantur tantùm prædispositio hæreditaria, contagium, inveterataque syphilis.

Symptomata 1æ *speciei* : capitis cuticula leviter desquamata; stillatus humoris quo exsiccato generatur crusta plùs minùsve densa, squamosa, furfurosa, quasi farinosa, alternis decidua recidivaque vicibus.

2æ *Speciei* : tubercula flavocinerea, orbica, caliculata, initio minutissima, mox auctu majora, densam informemque crustam efformantia quæ lapsa repullulat.

3æ *Speciei* : tubercula inæqualia, gibba, non excavata, cinereo obscura.

Sedes. Medici de morbi sede controversiam movent.

Duncan in capillorum bulbulis tineam residere auctor est.

Murrai huic opinioni repugnat capillorumque avulsionem improbat.

Alii denique auctores morbi sedem in adiposis folliculis seu reticulari corpore *Malpighiano* reponunt.

Diagnosis. Enumerata jam symptomata tineam quidem ut solius capitis morbum indicant; veruntamen totam corporis œconomiam aliquandò contaminari manifestum est. Nunc enim malum ad oris, genarum, narium auriumque cuticulam irrepit; nunc in cæteris partibus verrucæ pullulant; nunc deformantur ungues, viscidumque subsecti humorem stillant; inveteratâ verò tineâ, glandulæ cervicales intument, corpus macrescit, membra dolent, tandem febre hecticâ tabeque consumitur æger.

Prognosis. Tinea aliquandò infaustissima, semper eradicatu difficillima.

Curatio. Ex dictis liquet quantâ cum cautelâ ac solertiâ morbus sit impugnandus.

Empirici piceum capiti pileum imponunt, mox, interjecto temporis intervallo, hunc immisericorditer detrahunt, avulso simul cum cute capillitio; quâ curandi methodo crudelius quidquam haud dubiè excogitari nequit.

Prætereà, excoriato sic capite, si locali malo medeatur, futuris saltem non occurritur infirmitatibus: chronicos enim itemque gravissimos hinc oriri morbos auctores memorant.

Itaque practici boni nominis egregièque cordati non externa seu topica solùm, sed interna etiam seu generalia simul remedia proponunt, nimirùm sudorifica, purgantia, balnea, cæteraque omnia quæ depurantium titulo insigniri possunt.

D. *Murrai* partem unam muriatis hydrargiri ammoniacalis (mercurii præcipitati albi) cum octo unguenti rosati partibus felici cum successu adhibuit, proscripto carnium, imprimìs suilæ, usu, admissisque solùm vegetabilibus. Cùm autem hæc remedia debellandis quibusdam mali speciebus imparia essent, ad conium maculatum confugit.

Duncan muriatem mercurii corrosivum cuprique acetitem simul solutos commendavit.

Auctor quidam à celeb. *Desault* laudatus, raso capiti, crustisque axungiâ inunctis, emplastrum gummi ammoniaci imponebat.

Tandem saponis simùl cum carbone soluti lotiones recèns adhibitæ fuerunt.

Genus.

Squamæ furfurosæ; tubercula sparsa aut agglomerata, caliculata, vel inæqualia, gibba, capillato capiti insita.

Scabies.

Scabies aut sponte oritur aut contagio suscipitur.

Causæ 1ª speciei : perversa cibi aviditas; alimenta pravæ indolis; navigia longinqua; corporis illuvies, præsertim in ætate provectis.

2ᵃ *Speciei :* infectorum contactus quo communicatur insectum, seu, ut aiunt, *acarus scabiei.*

Symptomata 1°. *scabiei spontaneæ :* pustulæ cutaneæ quarum progressus propriique caracteres nondùm accuratè descripti fuere.

2°. *Scabiei communicatæ seu contagiosæ :* papulæ in manuum dorso digitorumque intervallis primò erumpentes, mox ad truncum membraque progredientes, nunc solitariæ, nunc verò agglomeratæ, quarum summitas sero plena, quæque per siccationem in crustas abeunt ; undè pruritus et ardor vespere nocteve imprimis recrudescentes.

Diagnosis. Scabies vulgo etiam innotescit. Imprimis cavendum est ne scabies spontanea cum eruptione criticâ confundatur.

Prognosis. Scabies eò eradicatu difficilior quò vetustior. Hujus autem retropulsio ærumnas sexcentas creare potest ; hinc scilicet pessimæ phlegmasiæ, asthmata, etc.

Curatio. 1°. Cùm scabies recens est, topica ut plurimùm sufficere observatum est, unguentum scilicet ex hydrargiro et sulphure, lotiones et balnea alkalina, nicotianæ ablutiones, quibus ea vis tribuitur ut insecta deleant.

2°. Cùm morbus vetus est, radicitùs evinci nequit, nisi cum topicis maritentur decocta sudorifica, balnea, evacuantia, vapores, aquæ thermales et cætera quibus depurandi vis inest.

Genus.

Papulæ, mox pustulæ quæ in manuum dorso digitorumque intervallis oriuntur, cùm scabies contagio suscipitur; quarum autem progressus irregularis nondùm innotescit, cùm sponte generatur.

ORDO I. *Morbi cutanei.*

1°. Tubercula dura, insensibilia in variis corporis partibus; imminutæ functiones sensuum; vox rauca (*lepra*).

2°. Vesiculæ sero plenæ, aut pustulæ in crustas squamasve furfurosas abeuntes, perennes aut periodicæ, cutem aliquandò ulcerantes vel corrodentes (*impetigines, herpetes*).

3°. Squamæ furfurosæ; tubercula sparsa, conglomerata, caliculata, inæqualia, irregularia, gibba, capillato capiti insita (*tinea*).

4°. Pruritus molestus manus digitorumque intervalla afficiens, contagiosus aut spontaneus (*scabies*).

ORDO SECUNDUS.

Morbi glandularum lymphaticarum.

Hic ordo quinque genera continet, *scrophulas, tabem mesentericam, phthisim tuberculosam, luem veneream et osteo-malaxiam.*

Scrophulæ.

PRIMA SPECIES.

Causæ. Habitatio in montium faucibus; loca paludosa; lac nutricis gravidæ; pulticula tenellulis ingesta puerulis; hæreditaria syphilis; degenerata cutis affectio; quandoque mutationes puberibus aut adolescentibus superaccidentes.

Symptomata 1ª *periodo :* glandularum cervicalium, axillarium, etc. tumor, induratio, deformitas.

2ª *Periodo :* glandularum vitalitas corporis incremento arteve quâdam excitatur; hinc earum rubor, calor, exasperatio; pulsus celerior; mox tumorum resolutio aut suppuratio.

3ª *Periodo :* glandulis non resolutis neque suppuratis, sed in scirrhi morem induratis, ulcera fungosa fiunt, et ad vicinia progrediuntur; hinc ossium caries, febris hectica, phthisis, tabesve mesenterica.

Diagnosis. Indaganda morbi natura, consideratis cœlo, aëre, victu, ætate, loco, anni tempore, morbis anterioribus, parentibus.

Mira autem scrophulis inesse videtur mobilitas: doctor enim *Warthon* eas à superioribus ad inferiora, ab externis ad interna, à latere ad latus, ab articulo ad articulum migrare observavit.

D. *Beaumes* varias pro variâ ætate corporis partes hoc morbo affici auctor est; in pueris scilicet glan-

dulas lymphaticas externas, quandoque etiam mesenterium; in adolescentibus pulmones. In adultis autem scrophulæ hydropem aut cutaneos affectus etiam pertinacissimos generare possunt.

Autopsia. Sectis cadaveribus, calcarius phosphas in quibusdam glandulis, viscerum parenchymate, ductu etiam thoracico reperiebatur. Hinc acidum phosphoricum in hoc morbo redundare, vasibus absorberi lymphaticis, deindè quaquaversùm disseminari autumant chymici.

Curatio. In primâ et secundâ periodo, summoperè prosunt oxys ferri cum ammoniacali muriate, amara cum alkalinis fixis (*Peyrilhe*); cortex peruvianus cum nuce myristicâ (*Fothergill*).

Humuli fortiter decocti efficacia multiplici constat experimento.

Aquam etiam marinam, calcarium muriatem perutiles esse testatur D. *Fourcroy*.

Veruntamen cum supradictis remediis simul concurrere debent hygienes auxilia, nimirum aëris salubritas, loci mutatio, frictio sicca, insolatio.

Angli aërem oxygenum cum partibus æqualibus athmospherici permixtum feliciter tentavere: cùm autem ægri peruviano cortice simul uterentur, hoc experimento neutrius remedii efficacia constare potest.

Famigeratæ quas olim D. *Lalouette* excogitaverat pilulæ, aliæque pharmaceuticæ compositiones quibus empirici magnam gloriam fecere, perpetuâ

nunc oblivione obrutæ vix inter medicos nominantur.

Murias quidem barytæ aliquot abhinc annis ad cœlum usque tanquam palmarium remedium à D. *Crawfort* extollebatur; sed pauciora memorantur observata quàm quæ ejus efficaciam comprobare queant. Ea autem fuit administrandi methodus: purgato scilicet ægro, unicum supradicti muriatis granum duabus aquæ distillatæ unciis exceptum triduo quolibet propinabatur.

Commendari solent insuper aquæ minerales martiales, extractum digitalis purpureæ, decoctum saponariæ, solani dulcamaræ, infusum arnicæ, etc.; quæ omnia, nisi in scrophulis simplicibus, in complicatis saltem bonum exitum habere possunt.

SPECIES COMPLICATÆ.

Scrophulæ cum tineâ, scabie, scorbuto, impetigine, syphili, rachitide, lue cancerotica complicari possunt.

GENUS.

Glandulæ cervicales, axillares, etc. tumidæ, induratæ, deformes, resolutæ, suppuratæ, scirrhosæ aut in fungos degeneratæ.

Tabes seu atrophia mesenterica.

Causæ. Nulla puerorum in victu temperantia, ingluvies; exanthemata retropulsa, cæteraque omnia quibus scrophulæ generari possunt.

Symptomata 1ª *periodo* : præire solent vitia concoctionis, flatus, intestinorum debilitas, alvus nunc liquida, nunc obstructa, anorexia, identidem vomitus materiæ viscidæ; inflatio abdominis, præsertìm sub vespere; urina lactea; acidus corporis halitus; respiratio inæqualis; pulsus intermittens; faciei frontisque pallor; linguæ spurcities; anima olida; melancholia; inferiorum debilitas, convulsio, lumborum gravitas.

2ª *periodo* : abdominis tumor, induratio, inæqualitas; anorexia aut voracitas; post pastum ægritudo; ventris distensio; flatus; urina parca; somnolentia; alvus abnormis, mollis, liquida, albida, cinerea, argillacea; sæpe vermium excretio; glandularum cervicalium ut plurimùm induratio.

3ª *periodo* : lymphaticæ mesenterii glandulæ steatomatosæ, inertes, impermeabiles; vasorum absorbentium atonia; hinc alvi dejectio chylosa, albida, mixtis cum semicrudis alimentorum reliquiis; febris hectica; macies; diarrhoea colliquans; lienteria; quandoque ascites; mors.

Autopsia. Sectis defunctorum cadaveribus, induratæ aut suppuratæ tum abdominis, tum thoracis glandulæ, effusaque in utrumque cavum aut intra calvariam liquida reperiuntur.

Hinc *diagnosis.*

Prognosis. Tabes mesenterica semper infausta; tertiâ verò periodo, lethalis.

Prophylaxis. Curandus infantium lactatus; pro-

cùl amovenda alimenta pravæ indolis, cæteraque omnia quibus debilitandi virtus inest.

Curatio. Risum profectò moveret nostris temporibus qui aurum tanquam præcipuum contra lymphæ concretiones remedium celebrare auderet. Tutior sanè eorum doctrina qui rhabarbarum, acetitem potassæ, mercurii oxydes, frictiones siccas, balnea frigida, aliaque commendant quibus lymphatici systematis vires exsuscitantur.

SPECIES COMPLICATÆ.

Atrophia mesenterica iisdem cum morbis ac scrophulæ complicari possunt.

GENUS.

Glandularum mesentericarum tumor, induratio, inflammatio, resolutio aut suppuratio.

Phthisis tuberculosa.

PRIMA SPECIES.

Causæ. Constitutio hæreditaria quæ his cognoscitur signis, elongatâ nimirùm cervice, complanato et angusto pectore, scapulis alatis, corpore gracili; hæmorrhagia immodica; diarrhœa; diabetes; exinanitio à lactatu; ptyalismus frequens, diuturnus; sudor nimius; abusus alcoholicorum; studia acerrima; pervigilia; suppressio evacuationis solitæ; retropulsio exanthematum; mœror ingens; melancholia.

Symptomata 1ª *periodo* : tussis sicca, vel materiæ viscidæ expuitio; macies, identidem hæmoptysis; cutis calida, arida; ardoris sensus præsertìm in manuum volis pedumque plantis; malarum labiorumque rubor; febris hectica; vox rauca aut penè deficiens.

2ª *Periodo* : symptomata auctu majora; tussis feracior; dyspnœa major; anorexia, cibos evomendi desiderium; tabes; sputa densa, albida, diaphana, cinerea, fœtida, salsa aut subdulcia.

3ª *Periodo* : febris hectica; dyspnœa et oppressio maximæ; pedum inflatio; sudor colliquans; diarrhœa; facies, ut aiunt, hippocratica; sputorum suppressio; mors.

Autopsia. Sectis defunctorum cadaveribus, pectoris viscera multimodis vastata apparent: pulmonum scilicet tunica densa, callosa, partibus vicinis fortiter adhærens; pulmones ipsi inflammati, suppurati, ulcerati, erosi, sanie perfusi, indurati, lapidei, macerati, putridi; cor ulceratum, putre, aliquandò etiam, mirabile visu! adiposâ materiâ obrutum in corpore macie confecto; thymus et mediastinum suppurata, putrida.

Inveniuntur etiam tubercula quaquaversùm sparsa majori minorive mole prædita, inclusaque involucris nunc membranaceis, mollibus, nunc verò cartilaginosis, duris, osseis; materie autem conflata densâ, homogeneâ, subrubrâ, obscurâ, pultaceâ, purulentâ, compactâ, gypseâ.

Diagnosis ex dictis sequitur. Causas imprimìs, corporis habitum, symptomataque tum præterita, tum præsentia considerare oportet. Phthisi autem juvenilis maximè ætas occupari solet ab anno decimo octavo ad trigesimum quintum.

Prognosis. Tabidis autumnus malus.

Quibus autem tabe vexatis capilli defluunt, ii succedente alvi profluvio moriuntur. *Hippocr.*

Curatio. Varia medela usurpari debet pro variâ morbi periodo, ægri habitu, mali causâ.

1°. Ineunte morbo, prosunt emollientia, fructus horæi, lactaria, alimenta saccharo condita; tunc autem oportet ægrum ruri esse, navigare, equo, rhedâ aut lecticulâ exerceri, recreari. Morbo autem ingravescente, de ægro conclamatum est.

2°. Cùm ægri sunt irritabili corporis habitu prædìti, loca declivia, humida depressaque percolere debent; his autem imprimis solatio esse solent potus emulsivi, maturi fructus, farinosa, lac cum ptisanâ mixtum, hilares placidique animi affectus, concentus musici, balnea tepida.

3°. Phthisis quæ à retropulso exanthemate orta est, vesicantibus, fonticulis, etc., quæ à lue venereâ, antisyphiliticis impugnanda: aliter quæ à nimio sanguinis fluxu, aliter etiam quæ à catarrho, peripneumoniâ, hypochondriâ, etc.

SPECIES COMPLICATÆ.

Phthisis cum scorbuto, asthmate, hysteriâ, hypochondriâ, syphili, podagrâ rheumatismoque complicari potest; aliquandò etiam variolæ, morbilli, retropulsa exanthemata, aut suppressa hæmorrhagia in phthisim vergunt.

GENUS.

Pulmonum tubercula quæ tussi, dyspnoeâ, macie et febre hecticâ manifestari solent.

Syphilis seu lues venerea.

PRIMA SPECIES.

Causæ. Contagium venereum genitalibus, ano, ori, mammis immediatè applicatum vel sub cuticulâ quasi inoculatione abditum.

Symptomata 1ª *periodo :* repentina oris interni, amygdalarum, linguæ, etc. ulcera, quorum superficies quidem albida, sordida, duri verò, crassi laceratique margines; aliquandò gingivarum fungi quorum rubri et inflammati margines; cutis maculæ aut pustulæ primùm pellucidæ, mox squamosis opertæ crustulis; aliaque exanthemata aut ulcera cavernosa, crustis obducta, duris callosisque cincta marginibus.

2ª *Periodo :* irritatio, dolor acutus vel chronicus ossei systematis, periostæi, tendinum, aponeurosium, ligamentorum, etc.; hinc exostoses, nodi tu-

mores acerbissimis aut levibus stipati doloribus, non purulentâ sed viscidâ materiâ pleni.

3ª *Periodo* : dolores osteocopi noctu ingravescentes; varia ossium alteratio, caries, frangibilitas, fungositas, mollities, necrosis; tandem febris hectica, macies; colliquatio; mors.

Inde *diagnosis*.

Prognosis. Lues venerea eò infaustior quò vetustior; ægri habitus quò infirmior; ætas quò senio propinquior; symptomata quò intensiora.

Curatio. Syphilis naturâ vel arte sanari potest :

1°. Quidem naturâ, cùm ægri rudi labore exercentur, macilentâque tantùm diætâ sustentantur. Cujus in rei fidem à *Fallopio* adducuntur homines ad triremes damnati atque à venereâ lue sanati absque ullo medicorum consilio et medicamentorum usu.

2°. Arte, cùm methodicè adhibentur mercurialia, sudorifica, ammoniacum.

SPECIES COMPLICATÆ.

Lues venerea scrophulas, impetigines, scabiem, scorbutum, podagram hypochondriamque comites habere potest.

GENUS.

Virus sui generis immediato contactu propagatum, quo localia primùm, mox generalia symptomata producuntur, variaque œconomiæ systemata inficiuntur.

Cancer.

Variæ cancri species nondùm exaratæ fuerunt: ergò ad imitandum nobis proponere debemus celeberr. *Boerhaavium* qui generica hujus morbi symptomata laconicâ sermonis brevitate adumbravit.

Causæ prædisponentes. Corporis status incognitus.

Causæ efficientes. Vis externa quælibet corpori illata, motu, contusione, attritu, etc., hæmorrhoïdum menstruorumve suppressio; victus austerus, calidus; tristia animi pathemata.

Sedes. Cutis, tela cellularis, membranæ mucosæ, glandulæ secretionibus inservientes lymphamve percolantes; hinc cancro exesa memorantur os, facies, cranii integumenta, femora, mammæ, oculi, nares, lingua, æsophagus, ventriculus, fistula intestinalis, rectum, anus, uterus, vesica, membrum virile, testiculi.

Symptomata localia. 1°. *Cancri occulti.* Prægreditur scirrhus cui accedit titillatio, pruritus, calor; dolor lancinans, urens, pungens; color rubellus, ruber, purpureus, cæruleus, lividus, ater; durities summa, prærupta, scabra, cum eminente apice; tumor in dies auctu major; vasa vicina tumentia, nodosa, varicosa, crassa, atra.

2°. *Cancri ulcerati.* Prægressis symptomatibus accedunt cutis excoriatio, denudatio; tenuis et acris ichoris transudatio; ruptio vasorum; ulcus sanie

perfusum, putre, fœtidum, acre, cadaverosum, vicina rodens, cujus labia tumida, retorrida, horrenda, color cinericius, lividus, niger, dolor intolerabilis, urens, pungens, rodens.

Symptomata generalia et consequentia. Hæmorrhagiæ, convulsio, febris hectica, macies, lipothymia, mors omnium miserrima.

Inde *diagnosis.*

Prognosis. In euchymis cancer occultus eò tolerabilior quò quietior : motu enim exacerbatur.

Cancer apertus seu ulceratus eò eradicatu difficilior quò vetustior, ætas quò infirmior, causa quò malignior.

Curatio. Emplastica, suppurantia, acria, caustica, vesicantia cancro occulto applicata, hunc in ulceratum convertunt; ergò vitanda.

In hoc statu, medicus ad mali quietem et symptomatum lenimen aspirare debet.

Quies impetratur locum ab externis omnibus defendendo; symptomata leniuntur narcoticis, victu blando, diluente et leniter evacuante.

Veruntamen mali radicem extirpare tutius est : itaque cancer occultus, parvus, incipiens, liber, à causâ externâ ortus, in loco apto situs, mobilis, in juvenili sanoque corpore, solus in toto corpore, ferro protinùs exscindendus est.

Cancer verò magnus, vetus, adhærens, locis ineptis situs, à causâ internâ ortus, in corpore cacochymo, senili, ad cancrum disposito, aliisque jam

cancris in eodem corpore sociatus, nec ferro nec medicamentis tangendus est : nisi enim cum radice et semine integrè exterminari queat, asperabitur, posteàque immaniter sæviet.

Cancer ulceratus, ni tolli queat, narcoticis, opio blandoque victu leniendus.

Antequam instituatur operatio, corpus cibis et medicamentis causæ adversis præparandum est.

Osteo-malaxia seu rachitis.

Causæ. Pueritia, debilitas ab anterioribus morbis, scrophulis, lue venereâ, tabe mesentericâ, scorbuto, phthisi, etc. quorum rachitis sequela aut effectus à quibusdam hodie censetur auctoribus; alimenta pravæ indolis; aëris insalubritas; loca humida, obscura, depressa; vis ossibus illata.

Symptomata. Præludente morbo, protuberantia abdominis; caput solito majus aut minus; præmaturum ingenium; aliquandò stupiditas, subsistente tamen sensuum exercitio, illæsisque fame et digestione.

Consistente morbo : nodosæ costarum extremitates; epiphyses ad ossium cylindricorum juncturas solito majores; spinæ incurvatio, illæsis ossibus cylindricis; aut vice versâ deflexio ossium cylindricorum, illæsâ spinâ.

Vergente morbo : febris hectica, macies, mors.

Diagnosis. Rachitis cognoscitur ab ætate, causis

prægressis, fratribus sororibusque simili morbo affectis.

Prognosis. Morbus non infaustum semper habet exitum; docet enim observatio pueros diu rachitide affectos pristinam tandem sanitatem recuperasse, subsistentibus solùm ossium deformitatibus. Quandoque etiam, mirabile auditu! ossa incurvata ad suam rediere rectitudinem : felix illa curatio ut plurimùm puberibus accidit.

Rachitis autem in acutos et chronicos morbos mutari potest, in dyspnoeam, tussim pertinacem, phthisim, etc.

Autopsia. Secta defunctorum cadavera fibras omnes, membranas, vasa, visceraque mollia et flaccida, humores solutos, ossa demùm remollita ostenderunt.

Curatio. Magnoperè prosunt, auctore *Boerhaavio*, usus diu continuatus medicamentorum roborantium, exsiccantium, antiscorbuticorum, excitantium; aër siccus et calidiusculus; cibus levis, eupeptus, aromatibus mitioribus conditus, sæpè ac moderatè datus; potus parcus, meracus, cerevisia diu cocta et spissa, non tamen vetus; decubitus super storeis ex aromaticis, roborantibus et exsiccantibus herbis factis, in elatiori ædium parte, supra tabulata lignea; gestatio, concussio, oscillatio, vectio, frictio multa, calida, sicca, cum pannis aromatum fumo perfusis, instituta ad abdomen et spinam.

ORDO II. *Morbi glandularum lymphaticarum.*

Scrophulæ, tabes mesenterica, phthisis, syphilis atque cancer glandulas lymphaticas potissimùm afficiunt, mox universæ œconomiæ substantiam vitiant.

1ª *Autem periodo :* glandularum durities et incrementum : morbus ideò localis aut stationarius, qui deinde causâ adventitiâ exasperatur.

2ª *Periodo :* major minorve sensibilitas, irritatio vel diathesis phlogistica glandulis inhærens, aut à lymphatici systematis irritatione dependens.

3ª *Periodo :* glandularum exulceratio ; stillatus materiæ purulentæ, saniosæ, plus minusve corruptæ, pro vitii indole ægrique habitu : hinc varia symptomata pro vario læsi systematis munere.

TERTIUS ORDO.

Hydropes.

Hydrops generatìm consideratus idem sonat ac *intercus aqua.* Veruntamen vox illa latiori sensu ad quamlibet aquæ collectionem significandam usurpatur. Aqua porrò seu serum intra calvariam aut spinam, thoracis abdominisque cava, et telæ cellularis loculos effundi potest ; unde quatuor hydropis genera, nimirum *hydrops cerebralis*, *hydrothorax*, *hydrops abdominalis* et *anasarca* seu *cellularis hydrops.*

Hydrops cerebralis.

Duplex hujusce generis hydrops : *hydrocephalus* et *hydrorachis*.

PRIMA SPECIES.

Hydrocephalus.

Causæ vulgò latent ; aliquandò tamen vis illata capiti culpari potest.

Symptomata. Immensa capitis moles in pueris ; pellucidæ fonticulorum membranæ ; suturæ dehiscentes ; pulpæ cerebralis distensio, tenuitas, compressio : unde sensuum hebetudo, debilitas, convulsio, vertigines, membrorum abdominalium vel thoracicorum paralysis.

Ex dictis manifesta *diagnosis*. Morbus tamen ab exordio dubius, provectus autem pungit oculos.

Celeberr. *Morgagnus* fœtuum *acephalorum* causam ab hydrocephalo derivat.

Prognosis. Suturis dehiscentibus, puer quarto circiter ætatis anno perit ; suturis verò internexis, ad pubertatem usque pervenire potest. *D. Camper.*

Autopsia. Secta defunctorum calvaria liquidum nunc ossa inter et duram-matrem, nunc inter meninges effusum ostendit.

Quibusdam in casibus, magna seri copia, innatantibus simul hydatidibus, in cerebri sinubus reperitur.

Vesalus atque *Tulpius* observata referunt quibus cerebrum quasi concameratum fuisse constat. Talibus autem in casibus, etsi pulpa cerebralis adeò distenta et extenuata fuerit, ut membranulam repræsentaret, integræ tamen atque illæsæ superstiterunt mentis facultates.

Prophylaxis. Pueri à morte præservari nequeunt, cùm morbus jam provectus est; commendari tamen solent decubitus resupinus ac horizontalis, necnon pileus coriaceus ne inæqualiter comprimatur encephalum, neve convulsionibus agitentur ægrotuli.

Curatio. Practici optimi sensûs ab omni medelâ abstinent, ne pueri morte præmaturâ rapiantur.

Quidam, inter quos D. *Lecat*, paracentesim proponunt: hanc verò uti temerariam inutilemque confutat D. *Camper*.

Angli medici, *Cruikshank*, *Clare*, *Underwood* frictiones cum hydrargiro commendavere, ut saliva moveatur, effusumque liquidum, titillatis vasis lymphaticis, absorbeatur.

Illud autem remedium, annotante D. *Camper*, paucioribus fulcitur experimentis quàm quæ ejus efficaciæ fidem et auctoritatem adjungere queant.

SECUNDA SPECIES.

Hydrorachis, spina bifida, hernia spinalis.

Causæ latent.

Symptomata. Nunc tumor unicus, mollis, pel-

lucidus, varias spinæ regiones totamve spinæ longitudinem occupans, ejusque cavum penetrans; nunc duo tumores inter se communicantes, sero pleni; quandoque membrorum abdominalium resolutio.

Diagnosis. Hydrorachis hydrocephalo affinis est: quibusdam enim in casibus liquidum è cerebri sinubus in spinam effunditur, vel tumor spinalis cum cephalico communicat.

Prognosis infaustissima. Unica tantùm à D. *Camper* historia narratur, quâ ægrum ad vigesimum ætatis annum pervenisse, moxque, resorpto liquido, sanum vixisse constat.

Autopsia. Secta mortuorum cadavera spinæ substantiam tumori contiguam erosam, et processûs medullaris involucra distenta nudataque ostendunt.

Prophylaxis. Tumor nequaquam pertundendus, potiùs verò fulciendus, ne crepet.

Curatio. Remedia, si quæ juvare queant, ea esse debent quæ seri lymphæve resolutionem aut absorptionem promoveant, firmamque loci affecti cicatricem producant.

GENUS.

Extraordinaria capitis moles; tumor quamlibet rachidis partem, vulgò inferiorem occupans; animi hebetudo sensuumque debilitas; aliquandò paralysis aut convulsio.

Hydrops thoracicus.

Duæ hujusce generis species, *hydrothorax* et *hydropericardus.*

PRIMA SPECIES.

Hydrothorax.

Causæ. Debilitas ab hæmorrhagiâ nimiâ, crebriori phlebotomiâ; à moerore gravi, diuturno; ab aëre humido otiosâque vitâ; à morbis anterioribus, febribus scilicet intermittentibus, phlegmasiis acutis aut chronicis, asthmate; ab alcoholicorum abusu.

Symptomata. Dyspnoea, præsertim corpore resupino: hinc orthopnoea, decumbendi impossibilitas in latus liberum; facies tumida, pallida, tussis, fluctuatio et oscillatio liquidi pro vario corporis situ, ægro astantibusque perceptibilis; terriculamenta in somnis; pedum, manuum atque thoracis inflatio; pectus obtusè resonans, sive decumbat æger, sive in lecto resideat.

Diagnosis. Aliquandò medici turpiter falluntur, nisi hujus morbi causas et symptomata accuratissimè explorent.

Prognosis infaustissima, lethalis.

Autopsia. Secta defunctorum pectora, alterutrum vel utrumque pleuræ cavum, nunc limpido, nunc flavo aut viridi sero plenum, septum transversum liquido depressum, pulmonemque flaccidum, valdè imminutum, suppuratumve ostendunt.

Curatio. Hydrothorax vix medelam capit. Commendantur tamen diuretica, sudorifica, tonica, paracentesis.

SECUNDA SPECIES.

Hydropericardus.

Causæ latent, nisi culpari queat acuta vel chronica pericardii inflammatio.

Symptomata. Respiratio debilis, difficilis, anxietas, syncope, palpitatio, pulsus depressus, sensus gravitatis circa pericardium morbum probabiliter indicant; hunc verò, perinde ac incarceratum mediastini aut thoracis hydropem, sola cadaveris autopsia certiorem facit.

Ergò *diagnosis* incerta.

Prognosis verò pessima, lethalis.

Curatio. Tentari debent drastica, hydragoga, diaphoretica, expectorantia.

SPECIES COMPLICATÆ.

Hydrothorax cum viscerum læsionibus complicari potest.

GENUS.

Dyspnœa, anxietas, palpitatio, pectus obtusè resonans, fluctuatio.

Hydrops abdominalis.

Hydrops abdominalis in duas scinditur species *ascitem* et *hydropem incarceratum*.

PRIMA SPECIES.

Ascites.

Causæ. Copiosus liquidi frigidi potus, æstuante corpore, aut fervente febre; hæmorrhagia immodica; diarrhœa inveterata; peritonitis chronica; atonia viscerum abdominalium post febres intermittentes, præsertìm quartanas; medicamentorum abusus; spasmi; obstructio viscerum abdominalium; læsio vasorum absorbentium.

Symptomata. Tumor abdominis major aut minor, ab hypogastrio incipiens, æqualiter increscens, abdominis formam non mutans, antrorsùm protuberans sedente vel stante ægroto, ovatus, totum sensìm abdominis cavum occupans, fluctuantis aquæ strepitum exhibens in moto percussove abdomine; inde tympanites, membrorum abdominalium, scroti aut pudendi infiltratio, dyspnœa, sitis, gravitas, torpor, alvus dura, urina parca, hæmorrhagiæ, febris hectica, macies, mors.

Autopsia. Secta defunctorum cadavera aquam purulentam, saniosam, carnium loturæ similem, albidam, flavam, cæruleam, viridem, nigram, putrem, fœtidam, densam, quandoque verò sat limpidam, citream, in cavum abdominis effusam, hydatides, adulteratam glandularum fabricam, viscera macerata, ulcerata, gangrænâ sphacelove corrupta ostendunt.

Diagnosis. Liquidi fluctuantis strepitus ascitem indicat.

Prognosis eò infaustior quò causa gravior; morbus quò vetustior; abdominis intumescentia quò major; æger quò debilior, ætate provectior; viscera abdominalia quò deteriora.

Curatio. Duplex occurrit indicatio, 1°. liquida in abdomine congesta dissipandi; 2°. debilitatorum viscerum totiusve corporis labem tollendi, sive hydropis causa sive effectus fuerit.

Primæ indicationi satisfaciunt, *A* adaucta vis vitalis seu resorbendi facultas vasorum lymphaticorum roborantibus, aromaticis, salinis, calidis, diaphoreticis, sudificis, diureticis, drasticis, vomitoriis fortibus et sæpè repetitis si valida sitis non urgeat, acidis verò gratis et leniter aromaticis si ingens sitis.

B Frictio, motus, calor foci, furni, arenæ, solis, salis, etc.

C Maximè pertinax abstinentia à potu, victusque parùm humidus.

D Tandem paracentesis, si causa hydropis recens, si vires integræ, corpus juvenile, si viscera sana, si aqua nondùm putrida neque diu in loco stagnaverit.

E Si prædictæ conditiones abfuerint, instituta nova emissaria, setacea scilicet, fonticuli, vesicatoria, cucurbitulæ, scarificationes in parte declivi.

Secundæ indicationi satisfaciunt vina chalybeata, ferri limatura, roborantia leniter astringentia, victus siccus, vinum meracum, vetus, exercitatio.

SECUNDA SPECIES.

Hydrops saccatus abdominis.

Causæ parùm innotescunt. Culpari tamen possunt vis abdomini illata, ictu, lapsu, læsiones viscerum.

Sedes. Hydrops saccatus varia abdominis viscera occupare solet, hepar scilicet, lienem, renes, ovaria imprimìs, uterum, omentum, peritonæi duplicaturas, etc.

Symptomata. Tumor localis in alterutro ventris latere, sensìm crescens, obscurè fluctuans; tensio, gravitas, dolor obtusus in parte affectâ.

Diagnosis. Hydrops saccatus, saltem incipiens, ab ascite distinguitur, 1°. quòd sit progressu tardior; 2°. quòd irregularem abdomini formam conciliet; 3°. quòd respirationem, digestionem et excretiones minùs lædat.

Cùm autem morbus jam provectus est, tantam venter in molem adaugetur, ut res vix elucidari possit, nisi in memoriam revocentur signa morbi incipientis.

Prognosis. Hydropem saccatum, illæsâ ægrorum vitâ diu subsistere posse testantur auctores. Ovarii nempe hydropem per octo et quinquaginta

annos toleratum fuisse legitur in Actis *Academiæ chirurg.* Similes etiam narrantur historiæ à D. *Vesalo*, *Douglas*, *Tascheron*, *Sabatier*, etc.

Cæterùm periculum eò majus imminet quò morbus vetustior; kystus quò amplior; æger quò debilior.

Autopsia. Si hydrops saccatus paracentesi pertusus fuerit, non idem liquor exit ac in ascite. Hinc enim serum plerumque limpidum, inodorum, citreum; illinc verò colluvies subobscurè fusca, atra, amurcosa, densa, pure coagulatove sanguine permixta, fœtida, viscida, gelatinosa, sæpè spissior quàm quæ per acum canulatam educi queat. Sectis autem defunctorum cadaveribus in kysto reperiuntur hydatides et vesiculæ distinctæ, diversæ magnitudinis, continentes humorem pellucidum, viscidum, calore concrescibilem instar albuminis ovi.

Quibusdam in casibus tumoris aut kysti parietes maximam densitatem et crassitudinem exhibent; viscus enim mali fomitem, in scirrhoma aut steatoma degeneratum dicas.

Curatio. Ex dictis hydrops saccatus longævitatem non excludit; ergò primo rei intuitu, curatelæ aut solatii periclitatio inhumanitatem crudelitatemque redolere, ideòque repugnare videtur.

Aliundè expectationis via aliquandò malefida esse potest, neque ægrorum salutem extra omnem aleam ponit. Namque periculum est ne rupto car-

cere liquidum intra cavum abdominis effusum ascitem producat, citæ mortis prænuntium.

Nonnulli quidem à scriptoribus narrantur casus in quibus paracentesis pluriès, aliquandò etiam saccati tumoris excisio cum felicibus atque bonis ægri rebus celebratæ sunt. Vide *Tractatum de Operationibus seu de Medicinâ instrumentali, auctore* D. *Sabatier*.

Quæstio igitur sic resolvenda videtur : vel hydrops saccatus adhuc recens, crescens aut consistens nullum parit ægris incommodum; vel tumor auctu maximus proximam ipsis mortem minitatur.

Si primùm, inutilis est paracentesis, quippe quæ eradicando morbo sit impar, neque citum ejus reditum impedire queat.

Si secundùm, tentanda est hæc operatio quâ, testantibus *Haënio*, *Morand*, *Mead*, etc. vita prorogari potest.

An extirpanda ovaria, cùm in iis sedet hydrops ?

GENUS.

Tumor abdominalis, regularis aut irregularis; fluctuatio manifesta vel obscura; respiratio plus minusve difficilis.

Anasarca seu hydrops cellularis.

Duplex anasarcæ species, *idiopathica* scilicet et *sympathica*.

Causæ, 1°. *anasarcæ idiopathici*. Constitutio

debilis, lymphatica; aër humidus diu corpori applicatus; loca humida, depressa, perobscura; vita otiosa aut sedentaria; alimenta aquosa, vappida; tristia animi pathemata.

2°. *Anasarcæ sympathici.* Organicæ atque inveteratæ viscerum læsiones, hepatis, lienis, etc.; debilitas ab evacuatione immoderatâ, à febribus intermittentibus inveteratis, præsertìm à quartanis splanchnicis; menstruorum aut lochiorum retentio; hæmorrhoïdum sudorumque suppressio; abusus medicamentorum tonicorum aut purgantium ad profligandas febres quartanas veteres, aut astringentium ad compescendum serosum alvi fluxum; exanthematum retropulsio; urinæ suppressio; hysteria.

Symptomata, 1°. *anasarcœ idiopathici.* Ab exordio, aqua intercus vulgò in membris abdominalibus, aliàs in facie, mox in cæteris corporis regionibus, atque in telâ cellulari quâ viscera omnia et organa involvuntur; hinc cutis pallida, quasi lactea, insensibilis, tactuque frigida; pulsus parvus, mollis, lentus; respiratio laboriosa, difficilis, anxia, variaque cæterarum functionum perturbatio.

2°. *Anasarcœ sympathici imprimìs ab organicâ cordis læsione pendentis.* Facies colorata, quasi cruore injecto suffusa, cutis rubra; calor ut sanis; pulsus fortis, explicitus et aliquatenùs durus, ut in constitutione validâ; respiratio tamen difficilis. Cæteris verò in casibus, varia ob-

servantur phænomena pro variâ læsi organi aut visceris fabricâ.

Diagnosis. Ad causas et symptomata attendendum est, ut idiopathica aut primigenia morbi species ab idiopathicâ seu secundariâ distinguatur.

Prognosis. Prior quidem species curabilis, posterior verò lethalis; morbi tamen exitus priùs prænuntiari nequit quàm ejus causa et symptomata investigata fuerint.

Curatio. Hydragoga, sudifica, diuretica præcipuum habentur curatelæ fundamentum.

Quæ remedia tamen diversimodè administranda sunt pro variâ morbi causâ et complicatione, pro ægri ætate, habitu, anni tempestate, coelo, etc.

Evacuantia autem, uti prudenter annotat D. *Camper*, nullum præbent utilitatis fructum, nisi cum tonicis et stimulantibus simul conjungantur.

Hoffmannus quoque veritus ne præmaturus hydragogorum usus intestina inflammet, ipsorumque functiones labefactet, tenendam idcircò expectationis viam et tonica evacuantibus permiscenda censet, hoc adagio fretus : *in maximis morbis vincendis lenissima et simplicissima remedia diu continuata.*

GENUS.

Leucophlegmatia generalis, nunc per se incipiens, nunc vetusto alteri morbo superveniens.

ORDO III. *Hydropes.*

Lymphæ vel seri effusio intra cavitates splanchnicas, aut telæ cellularis loculos.

1°. Intra calvariam : hinc hebetudo, stupor, paralysis, convulsio (*hydrocephalus*).

2°. Intra rachidem : hinc erosio aut destructio substantiæ osseæ, tumor extrorsùm prominens, fluctuans (*hydrorachis*).

3°. Intra thoracis aut pericardii cavum : hinc dyspnœa, anxietas, palpitatio, orthopnoea, suffocatio (*hydrothorax*, *hydropericardus*).

4°. Intra abdominis cava : hinc tumor regularis aut irregularis, fluctuatio manifesta vel obscura (*ascites*, *hydrops saccatus*).

5°. Intra telam cellularem : hinc leucophlegmatia generalis, atonia, debilitas (*anasarca*).

CLASSIS V. *Morbi lymphatici.*

Systema lymphaticum vasa glandulasque complectitur. Vasa porrò lymphatica ad cutem, telam cellularem, aut cavitates splanchnicas affluunt.

1°. Vasa lymphatica cutanea contagio externo, aut internâ labe afficiuntur : inde morbi cutanei ; *lepra*, *herpes*, *tinea*, *scabies*.

2°. Glandulæ lymphaticæ generali peculiarive morbo laborant : inde *scrophulæ*, *tabes mesenterica*, *syphilis*, *phthisis tuberculosa*, *cancer*.

3°. Lympha accumulari potest in cavitatibus splanchnicis : inde *hydrocephalus*, *hydrothorax*, *ascites*.

4°. Tandem idem humor in telam cellularem effundi potest : unde *anasarca*.

APPENDIX.

DE MORBIS INDETERMINATIS.

Icterus neonatorum.

CAUSÆ *prædisponentes* latent.

Causæ efficientes. Mutatus sanguinis circulus propter respirationem; meconii colluvies; lac nutricis quæ pluribus abhinc mensibus peperit; oleosorum et fermentatorum abusus; acuti aut chronici gravidarum morbi.

Symptomata. Cutis flava, sicca; tensio abdominis et hypochondriorum; vomitus; ventris tormina; vagitus; constipatio; febris hectica; macies; mors.

Inde *diagnosis.*

Prognosis. Icterus ab organicâ viscerum læsione, omnium infaustissimus, lethalis.

Autopsia. Secta neonatorum cadavercula, hepar suppuratum, fistulam intestinalem meconio obstructam ostenderunt.

Curatio. Vitandi sunt regiminis errores; diluendum meconium, sive colostro materno, sive melle aut saccharo aquâ soluto, syrupo cichorii simplicis, leni clysmate, additis quibusdam saponis granis.

Curatio. Cùm hypochondria debitam mollitiem servant, solæ sufficiunt medicatrices naturæ vires; sin minùs, prosunt laxantia, serum lactis, aqua hordeacea, frictio, balnea tepida, clysmata.

Cùm icterus ab organorum aut viscerum læsione pendet, de ægrotulis conclamatum est.

Diabetes.

Celeb. *Desault* duplicem admittebat diabetes speciem, aliam quæ à vitio concoctionis seu *assimilationis*, aliam quæ à renum relaxatione aut irritatione : quarum prior ad medicinam, posterior ad chirurgiam pertinet.

Causæ. Debilitas ab hæmorrhagiâ immodicâ, crebrâ phlebotomiâ, copiosâ puris emissione; abstinentia nimia; alcoholicorum tepidorumque potuum abusus; loca humida et frigida; vita otiosa; alimenta insalubria, vappida; melancholia consueta; mœror ingens.

Symptomata. Præire solent frequens mingendi cupiditas; caloris aut frigoris sensus ab abdomine ad vesicam usque propagatus; major in dies urinæ mictus; præcordiorum gravitas; moderata sitis.

Quibus ita prægressis, 1ª *morbi periodo*, succedunt debilitas, virium prostratio sine apyrexiâ; dolor verò nullus est sive in lumbis sive in hypogastrio; urina redditur limpida, inodora, ferè insipida, absque ullâ fere hypostasi; sitis major est.

2ª *Periodo :* totius corporis exsiccatio; macies; calor internus mordicans; frequentior mingendi necessitas; boulimia; cutis arida; generalis virium collapsus; standi impotentia; sitis inextinguibilis; dyspepsia; febris hectica; ructus acidi; urina nunc

albida, nunc flava et melli aquâ soluto similis, quasi saccharo condita, cum sedimento cinereo, copioso; cutis sicca, rugosa; abdominis tumefactio; immodicus urinæ fluxus....

3ª *Periodo :* macies summa; pulsus parvus, debilis, abnormis, intermittens; tabes; mors.

Inde *diagnosis.*

Prognosis. Diabetes ferè lethalis est, teste *Cullenio.*

In secudâ periodo diabetem adhuc curabilem esse unicâ *Ph. Pinel* observatione comprobatur.

In tertiâ etiam periodo, diabetes ex animi pathematibus semel à suprà laudato professore sanatus est.

Rara ergò sanati hujus morbi exempla.

Curatio. Minùs prosunt pharmaca quàm hygienes præcepta. Itaque ægri animum erigere debent, tristitiam deponere, vires moderato exercitio, alimento boni succi, vinoque meraco reficere.

Vermes intestinorum.

Quatuor olim admittebantur vermium genera, lumbrici, ascarides, cucurbitini et solitarii.

Recentioribus verò temporibus D. *Bloch* hæc animalcula in duos distribuit ordines, quorum prior vermes planos, posterior verò teretes seu rotundos complectitur.

Triplex autem vermium planorum genus, *ligula* scilicet, *fasciola* et *tænia;* teretum verò seu rotun-

dorum genera undecim quæ plures etiam species includunt.

Causæ vermium in intestinis nidulantium. Aër humidus; alimenta pravæ indolis; vita iners; tristia animi pathemata, cæteraque omnia quæ vires concoctrices debilitare, mucosamque in ventriculo aut intestinis colluviem generare possunt.

Symptomata, 1°. *quæ ad vias primas attinent.* Ructus acidi; anorexia; nausea; vomitus; quandoque voracitas; cardialgia; inflatio abdominis; borborygmi; flatus; dolores colici, ventrisque tormina; nunc tenesmus, nunc albæ materiæ dejectio.

2°. *Quæ ab intestinorum cum cæteris organis consensu pendent.* Nocturna salivatio; diurna oris siccitas; dentium stridor in somnis; faucium motus ut deglutientibus.

Narium pruritus; oculorum scintillatio; pupillæ amplificatio; scotomia; vertigines; genarum livedo; tussis; singultus; anxietas.

Pulsus abnormis, intermittens; horripilatio; extremorum frigus; febris.

Lipothymia; sudor acidus; convulsio; insultus epileptici; comata; delirium; stupor; aphonia; paralysis.

Diagnosis. Symptomata jam enumerata, seorsimque considerata rem vix elucidant, quandoquidem ad alia morborum genera pertinent; simul unita verò probabilitatem magnam generant: tan-

dem obtinetur certitudo , cum sursùm aut deorsùm vermes expelluntur.

Quædam etiam peculiaria signa à practicis recensentur quibus variæ animalculorum species innotescunt. Sic ascarides recti anique pruritum movent ; cucurbitini tæniam indicare memorantur.

Porrò tænia, mirum est animalculum, quod philosophorum ingenia multùm exercuit; hujus autem corpus complanatum, prælongum et plurimis compactum articulis, quorum intervalla unicum duove spiramina exhibent, in exilissimam decinit extremitatem cujus in acumine reperitur caput tuberculosum, quadruplici proboscide præditum cum vel sine hamulis retractilibus.

Bestiolam autem juxta practicos nunciant symptomata intensissima, fames aliquandò inexplebilis, oris putredo, crebra expuitio, facies pallida, gravitas abdominis, cardialgia, lumborum dorsique dolores, cephalalgia continua, difficilis aut tardus post morbos ad sanitatem reditus.

Quibusdam etiam in casibus tæniam ad fauces usque ascendere, menstrua in mulieribus supprimere, ideòque hysteriam aut graviditatem mentiri narrant. Inde incerta diagnosis, quæ non elucidatur, nisi plures tæniæ articuli vomitu vel alvo rejiciantur.

Prognosis. Vermes ex supradictis innumera mala mortemque etiam producere possunt.

Tænia vermium profligatu difficillimus, quippe qui cunctas medicorum artes aliquandò eludit.

Autopsia. Sectis cadaveribus, vermium glomeruli in intestinis, ventriculo, æsophago, atque in ductibus pancreatico et choledoco inveniuntur. Ipsamet autem intestina inflammata, suppurata, invaginata, erosa atque perforata fuisse prosectores memorant.

Prophylaxis. Impedienda vermium generatio. Cui indicationi satisfaciunt, 1°. causarum fuga; 2°. amara, tonica, etc., quibus scilicet ea vis est ut intestina roborent, glutinosæque materiæ quâ foventur vermes generationem impediant.

Curatio. Vermes in intestinis nidulantes anthelminticis necandi et purgantibus expellendi.

Anthelminticorum autem nomine insigniri solent amara, tonica, mercurialia, martialia, acida, alliacea, oleosa, stamni limatura, murias ammoniacalis, etc.

Purgantia verò omnium usitatissima sunt rhabarbarum, aloë, jalappa, drastica.

Quæ remedia tamen pro ætate, ægri viribus, vermiumque specie temperanda sunt.

Tænia quidem drasticis felici cum successu impugnatur. Alii tamen stamni limaturam cum jalappæ pulvere adhibent; alii verò radicem filicis maris minutatìm contritam bolosque purgantes ut palmaria remedia prædicant.

D. *Bourdier* tæniam æthere sulfurico enecat aut inebriat, moxque purgantibus expellit.

De insectorum morsibus.

Insecta plurima homini nociva perhibentur, apis scilicet, vespa, tarentula, scorpio, etc.

1°. *Apis et vespa* aculeo pungunt quem in vulnusculo sæpè relinquunt.

Symptomata. Dolor pungens, urens; partis affectæ inflammatio; pustula in centro albida.

Diagnosis è cognitâ insecti specie derivatur.

Prognosis. Inflammatio levis est, paucosque intra dies resolvitur.

Veruntamen, si plura simul corporis loca puncta fuerint, febris aliaque accidentia gravissima oriri possunt.

Curatio. Aculeus è vulnusculo extrahendus est; quo facto, brevi sanatur inflammatio.

Verùm si febris vehemens superveniat, antiphlogisticis diætâque impugnanda est. Interim vulneri applicantur emollientia et resolutiva, fomenta ex urinâ, oleo, etc.

2°. *Tarentula*, juxta *Baglivium*, quædam est araneæ species *Neapolitanos* agros infestans, quam in viatores messoresque æstate sævire referunt.

Symptomata. Partis affectæ dolor, stupor, inflammatio; mox calor lividus, ater.

Quibus ità prægressis, superveniunt, testantibus auctoribus quibusdam, tristitia, melancholia, solitudinis amor, anxietas, tremor, dedolatio, cardialgia, pectoris constrictio, scotomia, delirium.

Prognosis. Quidam olim tarentulæ morsum lethiferum esse censebant, ægrosque repentinâ morte non secùs ac apoplexiâ correptos aut fulmine percussos vitam finire, aut superstites eidem morbo quotannis obnoxios totoque vitæ decursu infirmos remanere asserebant.

Nostris autem temporibus hanc araneæ speciem innoxiam esse multiplici constat experimento; suprà memorata ergo phænomena inanes inter fabulas recensenda sunt.

Curatio. Morbum non adversâ fronte impugnandum, musicis verò concentibus demulcendum ferunt. Ægri enim melodiâ capti aut incantati lecto hilares exurgunt, saltationemque ineunt, donec moto sudore virus à tarentulâ infusum per cutis spiramina expellatur : sed ista sunt meræ nugæ.

3°. *Scorpionem* in regionibus moderatæ temperiei innocuum esse constat; aliter verò de bestiolâ in ferventibus locis sentiendum esse autumant medici.

Symptomata. Partis affectæ dolor, inflammatio; mox generalis ægritudo, nausea, vomitus, singultus, tremor, convulsio, delirium, etc.

Diagnosis è cognitâ scorpionis formâ exploratâque ipsius specie derivatur. Scorpio rufus præ cæteris maximè virulentus habetur. Vide opusculum D. *Amoureux* de Insectis in Galliâ venenatis.

Prognosis. Si plura animalia à scorpione læsa fuerint, alia pereunt, alia verò ne ullum quidem

patiuntur incommodum : quæ effectûs diversitas forsan à tempore, loco, fame, amoris æstu, insecti libertate aut captivitate, aut veneni exhaustu propter anteriores morsus, deducenda est.

Curatio. Commendari solent oleosa topica, partis læsæ scarificatio, ustio; prosunt etiam cardiaca, alexipharmaca.

De serpentum morsibus.

Non in facili versatur generalis enumeratio phænomenorum quæ à serpentum morsibus producuntur : siquidem ab *aspide*, si viatoribus fides, sopor, à *cerasto* tetanus, à *sepide* gangræna, à *dyspsade* sitis inextinguibilis.

Absit ut in dubium revocemus pessima quæ à *crotalo americano*, colubroque *najâ* oriuntur incommoda : horum enim testes apellari possent plurimi naturalis historiæ scriptores, à quibus *strychnos colubrina* najæ, *polygala* verò *senega* crotali americani antidotum perhibetur.

Veruntamen quæ ad viperæ morsum attinent ea certioribus fulciuntur experimentis, de quibus vide *Fontana*.

Hæc autem colubri species, juxta laudatum naturæ contemplatorem, 118 squamas abdominales, 22 caudales gerit.

Ad basim dentis utriusque canini virus viperinum in vesiculâ reconditur, unde ad dentis ca-

veam transmissum, mox in vulnera à colubro inflicta infunditur.

Hoc autem virus limpidum sufflavumque colorem præbet, acriter sapit, in aquâ gummi instar solvitur, imò plures per annos easdem virtutes servare potest.

Symptomata. Partis afflictæ dolor, rubor, tumor; horripilatio; animi defectus; pulsus depressus, abnormis; aliquandò syncope, convulsio; adnatæ totiusve corporis flavedo; nausea, vomitus; languor; anxietas; paulò post caloris exacerbatio; sudor generalis; morbi finis.

Diagnosis. Vipera distinguitur à serpente vulgari minori corporis longitudine et crassitudine, complanato capite, colore sufflavo, cinereo, albido, maculis nigris.

Prognosis. Viperæ morsus eò infaustior quò major veneni copia; vulneribus quò pluribus infunditur; animalia læsa quò mole minora, juniora, infirmiora.

Hoc autem veneno sanguinis globulos nequaquàm decomponi, sed musculos irritabilitate privari, ipsisque ad putredinem communicari dispositionem præsumitur. D. *Fontana.*

Curatio. Amputatâ vel deligatâ parte demorsâ, nullum supervenit incommodum.

Ad subigendum aut expellendum virus viperinum profuisse perhibentur ammoniacum solum

vel essentiali succini oleo permixtum, emesis, immersio partis affectæ in aquam calidam.

Febris lenta hectica.

Febris lenta hectica dicitur quæ lentè progreditur, cujus mitia videntur symptomata, quæque nihilominùs corpus extenuat, tandemque pessundat ægrum.

Causæ. Exquisita sensibilitas, caloris aut frigoris impatiens; acria ingesta titulo cibi, potûs, medicamenti, veneni; vestimenta strictiora, imprimìs ferreæ aut balænatæ loricæ quibus olim mulieres thoracis abdominisque cava constringebant; exercitia vehementissima; studia acerrima; pervigilia; excretio nimia sanguinis, urinæ, lactis, salivæ, spermatis, sudoris, etc.; suppressio hæmorrhagiæ solitæ, hæmorrhoïdum, menstruorum; retropulsio exanthematum, variolarum, morbillorum, scarlatinæ, scabiei, tineæ, impetiginis, ulceris; metastases, febrilis, arthritica, syphilitica, cancerotica, scrophulosa; vermes; tristia aut violenta animi pathemata, moeror, odium, invidia, nostalgia, melancholia, etc.; crebri iræ furorisve impetus.

Symptomata 1ª *periodo :* febricula abnormis; pulsus parùm acceleratus, depressus, vibrans, imprimìs post pastum; cæterùm levis functionum læsio.

2ª *periodo :* febris quotidie recrudescens; sæviente autem paroxysmo, calor urens in manuum volis pedumque plantis; cutis arida; anxietas; morositas; sudor colliquans; macies.

3ª *periodo :* virium collapsus; cutis terrea, squalida; æger totus ossa atque pellis; tandem mors.

Inde *diagnosis.*

Prognosis. Ægri ut plurimùm labente autumno aut ineunte vere moriuntur.

In tertiâ morbi periodo, cùm viscera aut organa vitæ essentialia tabescunt, viresque vitales morbi diuturnitate, senio, pravâ medelâ, etc. confractæ sunt, de ægro conclamatum est.

Curatio. Varia pro morbi causâ et specie medela usurpari debet.

Itaque febris hectica gastrica tonicis et amaris; hectica pectoralis emollientibus iisdemque remediis quibus phthisis tuberculosa; hectica ab hæmorrhagiâ activâ refocillantibus, potu acidulo; hectica ab exanthematum retropulsione vesicantibus et exutoriis; hectica verminosa anthelminticis; hectica melancholica aut nostalgica cæli, aëris victûsque mutatione, itinere et recreatione impugnanda est.

Multùm autem expedit naturæ vires sustentare aut erigere; vitandi regiminis errores, sedulòque observanda hygienes præcepta.

Corollarium.

Ex dictis sequitur multiplex existere febris hecticæ genus.

Hinc enim febris hectica ab imperitâ aut præmaturâ febrium essentialium curatione.

Hectica à degeneratis aut malè curatis phlegmasiis.

Hectica à retentis, suppressis deviisque menstruis aut aliis excretionibus.

Hectica à neurosibus, hypochondriâ scilicet, melancholiâ, etc.

Hectica à læsionibus systematis lymphatici, scrophulis, cancro, etc.

Hectica ab indeterminatis morbis, diabete, calculo, vermibus.

FINIS.

INDEX.

PRIMA CLASSIS.

SECUNDA CLASSIS.

TERTIA CLASSIS.

QUARTA CLASSIS.

QUINTA CLASSIS.

APPENDIX.

FINIS INDICIS.

ERRATA.

Præfatio, *pagina* ix, *linea* 10, coetaneos, *lege* coætaneos.
Pagina 8, *linea* 24, refrænet, *lege* refrenet.
11, 7, se se, *lege* sese.
33, 9, contractiùs, *lege* contractius.
34, 17, anthemis, *lege* anthemidis.
35, 25, *Causæ.* Latent, *lege* *Causæ* latent.

Pagina 36, *linea* 16, anthemis, *lege* anthemidis.
38, 4, mæstilia, *lege* mœstitia.
41, 2, 3, anthemis, *lege* anthemidis.
46, 5, intensus; *lege* intensus,
47, 7, crebiorem, *lege* crebriorem.
48, 17, dyspnæa, *lege* dyspnœa.
52, 9, *Essentiala*, lege *Essentialia*.
53, 26, diarrhæa, *lege* diarrhœa.
54, 28, vegetalibus, *lege* vegetabilibus.
56, 9, hordacea, *lege* hordeacea.
64, 22, rubei, *lege* rubri.
73, 24, stragularum, *lege* stragulorum.
74, 21, diarrhæa, *lege* diarrhœa.
75, 14, rhumatici, *lege* rheumatici.
75, 10, utràque, *lege* utrâque.
83, 6, torti, *lege* *Torti*.
83, 4, soporosa, *lege* soporifera.
94, 22, squammas, *lege* squamas.
95, 6, fructus horei, aciduli, *lege* fructus horæi aciduli.
101, 19, quorum, *lege* quarum.
115, 8, in renes, *lege* in ureteres.
133, 8, triculum, *lege* ventriculum.
134, 1, auctelâ, *lege* cautelâ.
138, 13, 20, rotulæ, *lege* tumoris.
id., 19, rotulæ, *lege* tumori.
141, 1, hypogastro, *lege* hypogastrio.
142, 20, durâ, varicosâ, *etc.*, *lege* duro, varicoso, *etc.*
144, 16, membranorum, *lege* membranarum.
146, 11, inungendæ, *lege* inungendi.
158, 11, epigastro, *lege* epigastrio.

fusa. Enfin, il lui fit proposer de venir régner à Corinthe en sa place, ce qu'il accepta. Cet article de leur réconciliation fut funeste à Lycophron; car les habitans de l'île, pour se défendre de la domination de Périandre, qui devait régner chez eux en la place de son fils, tuèrent ce jeune prince. Son père conçut une si grande douleur de sa mort, qu'après avoir puni par de cruels supplices ceux qu'il en croyait les auteurs, il envoya trois cens de leurs petits-enfans au roi de Lydie (1) pour en faire des eunuques qui servissent à la

(1) Alyatte, père de Crésus.